COMPENDIUM SEPTEM SACRAMENTORUM ECCLESIAE, RURSUS IN LUCEM...

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

PATRI DOMINO

MICHAELI ANGELO LISIERA

CANOÑICORVM SANCTI GEORGII
IN ALEGA VENETIARVM
præſuli meritiſsimo:

GEORGIVS ANGELERIVS.

QVOD ad te ſingularis probitatis, ac virtutis virum, ego obſcuræ ſortis homo, hunc de Septem Sacramentis Eccleſiæ librum mittere auſim; non eſt, Præſul ampliſſime, quod mireris admodum. Adeo enim apud omnes increbuit modeſtiæ, morum integritatis, relligionis, pietatis, atque humanitatis tuæ fama, ut nemo ſit omnium, qui te non ſuſpiciat, ac miretur cænobitarũ decus eximium. Tu apud ampliſſimos tuæ Congregationis patres, quæ tua eſt virtus, omnes conſecutus es honorum, ac dignitatum gradus, ſic vt ad præſtantiſſimum tandem deueneris Præſulatum: quo in munere ita te geris, vt omnes tuam iuſtitiam ſummis laudibus efferant, tuamq; clementiam maximo amore proſequantur. Tu apud omnes vniuſcuiuſq; generis viros talem te præbes, ut primi ordinis homines in omnibus negocijs tuam admiren-

tur prudentiam, cæteri autem liberalitatem, atque humanitatem tuam, non tam laudent, quàm uenerentur & ament. Quare factum eſt, ut ego etiam, quicunque ſim, his maximis tuis laudibus motus, non poſſim Amplitudinem tuam non maximè uereri. Cum uerò nihil ſit, quod nos magis alliciat, quàm præclara ipſa uirtus; ad eam tandem confugi, ut ad te, Pater optime, aliquis pateret mihi aditus, nimirum quæ ſacrum Præſulem deceret. Quare libellum hunc apprimè ſacris hominibus, cæterisq; omnibus utilem de Septem Sacramentis Eccleſiæ libenter accipere ne dedigneris; ut poſthac maiora, quæ meis typis, Deo fauente, excudentur, nomini tuo dicare animoſius audeam. Vale Venetijs IX. Calend. Maias. M. D. LXXIIII.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

BAPTISMI NATVRA, ET SVBSTANTIA.

Explicatur.

Ex ipſius uocis ſignificatione, quam Græcam eſſe nemo ignorat:

POrrò, & ſi in ſacris literis non ſolùm eam ablutionē, quæ cum Sacramēto coniuncta eſt, ſed etiam omne ablutionis genus, quod aliquando ad paſsionem translatum eſt ſignificat:

Tamen apud Eccleſiæ ſcriptores, non quamuis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum Sacramento coniungitur, nec ſine præſcripta uerborum forma miniſtratur: Qua quidem ſignificatione, Apoſtoli ex Chriſti Domini inſtituto frequentiſsimè uſi ſunt.

Alia quoque nomina, ad eandem rem ſignificandam S. Patres uſurparunt. Nam Diuus Auguſtinus, Chryſoſtomus, Dionyſius,

Appellauit baptiſmum,

Sacramentum fidei, quòd illud ſuſcipientes uniuerſam, Chriſtianæ religionis fidem profiteantur:

Tum, Expurgationem, ueteris uidelicet fermenti.

Chriſti Sepulturam, Plantationem, & Crucem.

Principium ſanctiſsimorum mandatorum, quòd ueluti ianua ſit, qua in Chriſtianæ uitæ ſocietatem ingredimur.

Alij, quia fide corda noſtra illuminantur, quam in baptiſmo profitemur, hoc Sacramentum, illuminationem uocarunt. Nam & Apoſtolus ita inquit ad Heb. 10. Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſsionum, tempus nimirum quo baptizati erant, ſignificans.

Definitione rei. Et ſi uerò multæ ex ſacris ſcriptoribus afferri poſſunt, illa tamen aptior et commodior eſſe uidetur, quam ex uerbis Domini apud Ioannem, & Apoſtoli ad Epheſios, licet intelligere. Nam cùm Saluator dicat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnū Dei: Et Apoſtolus; cùm de Eccleſia loqueretur, Mundans eam lauacro aquæ, in uerbo: ita fit, ut rectè & appoſitè definiatur, Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis, per aquam, in

uerbo

uerbo. Vnde ſentiendum eſt,hoc Sacramentum confici ablutione,cui ex Domini Saluatoris inſtituto,certa & ſolemni uerba, neceſſariò adhibentur,quemadmodùm ſemper ſancti Patres docuerunt,quod apertiſsimè illo D. Auguſtini teſtimonio demonſtratur. Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Declaratione materiæ & formæ, quæ in ſequentibus continentur.

Materia.

MAteria, ſiue elementum, huius Sacramenti, eſt omne naturalis aquæ genus, ſiue ea maris ſit, ſiue fluuij,ſiue paludis, ſiue putei aut fontis, quæ ſine ulla adiunctione, aqua dici ſolet. Quantùm uerò baptiſmi naturæ & uirtuti,conſentaneum fuerit,ut eius propria materia,aqua inſtitueretur,ex his poteſt animaduerti:

Quoniam hoc ſacramentum,omnibus,ſine ulla exceptione,ad conſequendam uitam, neceſſarium erat,idcirco aquæ materia, quæ nunquam non præſtò eſt, atque ab omnibus facilè parari poteſt, maximè idonea eſt.

Deinde aqua,effectum baptiſmi maximè ſignificat: ut enim aqua, ſordes abluit,ita etiam baptiſmi uim atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur,optimè demonſtrat.

Accedit illud,quòd quemdmodum aqua,refrigerandis corporibus aptiſsima eſt, ſic baptiſmo, cupiditatum ardor, magna ex parte reſtinguitur.

Forma.

FOrma hæc eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

Apud Græcos uerò hæc: Baptizetur ſeruus Chriſti, in nomine Patris,Et filij, Et Spiritus Sancti.

Modus.

MOdus eſt triplex. Nam qui hoc ſacramento initiari debent, uel In aquam merguntur, Aqua in eos infunditur, Adſperſione aquæ tinguntur.

Ex his autem ritibus quicunque ſeruetur.

Baptiſmum uerè perfici credendum eſt.

Aqua enim in baptiſmo adhibetur, ad ſignificandam animæ ablutionem quam efficit.Quare baptiſmus ab Apóſtolo lauacrum appellatur, ad Epheſ.5.

Tempus.

Tempus.

DVo diuerſa ſunt tempora: Alterum, cùm Saluator, eum inſtituit. tunc enim à Dño hoc ſacramẽtum inſtitutum eſſe perſpicitur, cũ ipſe à Ioanne baptizatus, ſanctificandi uirtutem, aquæ tribuit. Teſtantur enim ſancti, Gregorius Nazianzenus, & Auguſtinus, eo tempore, aquæ, uim generandi, in ſpiritualem ſcilicet uitam, datam eſſe.

Alterum, cum lex de eo ſuſcipiendo ſancita eſt. Nam inter ſacros ſcriptores conuenit, poſt Domini reſurrectionem, cum Apoſtolis præcepit, Euntes docete omnes gentes &c. ex eo tempore omnes homines, qui ſalutem æternam conſecuturi erant lege de baptiſmo teneri cœpiſſe.

Quibus Cæremoniæ ſunt.

Ante baptiſma.

OMnes eæ cæremoniæ & precationes, ad tria capita redigendæ ſunt.

Ac primum quidem illarum genus eſt, quæ antequam accedatur ad baptiſmi fontem, ſeruantur.

IGITVR, In primis aqua paranda eſt, qua ad baptiſmum uti oportet. Conſecratur enim baptiſmi fons addito miſticæ unctionis oleo: neque id omni tempore, ſed certis quibuſdam diebus.

Afferuntur, uel etiam adducuntur, qui baptiſmo initiandi ſunt, ad eccleſiæ fores, quòd indigni ſint, qui domum Dei, antequam Chriſto ſe addixerint, ingrediantur.

Tum uerò ſacerdos ab eis exquirit, quidnam ab Eccleſia petant.

Quo congnito, primùm eos Chriſtianæ fidei doctrina, quam in baptiſmo profiteri debent, inſtituit: id autem catechiſmo efficitur.

Si is qui inſtituitur, adulta ætate fuerit, ad ea, quę rogantur, ipſe per ſe reſpondet: ſi autem infans ſit, pro illo ſponſor ritè reſpondet, ſolemnemque ſponſionem facit.

Sequitur exorciſmus, qui ad expellendum diabolum, eiusq; uires frangendas, & debilitandas, ſacris & religioſis uerbis ac precationibus conficitur.

Sal in illius os, qui ad baptiſmum, adducendus eſt, inſeritur, quo ſignificatur, eum fidei doctrina & gratiæ dono conſecuturum eſſe, ut à peccatorum putredine liberetur, ſaporemq; bonorum operum percipiat, & diuinæ ſapientiæ pabulo delectetur.

Obſignantur prætereà ſigno crucis, frons, oculi, pectus, humeri, aures: quæ omnia declarãt, baptiſmi miſterio; ſenſus baptizati aperiri ac roborari, ut Deũ excipere, ꝑceptaq; eius intelligere, ac ſeruare poſsit.

Poſteà

Poſteà uerò, illi, nares & aures ſaliua liniunt, ſtatimq; ad baptiſmi fontem mittitur, quo intelligamus ſacræ ablutionis eam uim eſſe, ut menti ad cœleſtem ueritatem perſpiciendam lumen afferat.

In Baptiſmate.

ALterum genus earum eſt cæremoniarum, quæ cùm ad ipſum fontem uentum eſt, adhibentur: ex quibus Chriſtianæ religionis ſummam licet cognoſcere.

Sacerdos enim ter conceptis uerbis: eum, qui baptizandus eſt, interrogat: Abrenuncias ſatanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus põpis eius? at ille, aut eius nomine Patrinus, ad ſingulas interrogationes reſpondet, Abrenuncio.

Deinde ad ipſum baptiſmi fontem conſiſtens interrogatur à Sacerdote, hoc modo: Credis in Deum patrem omnipotentem? cui ille reſpondet, Credo. Atque ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus, fidem ſuam ſolemni religione profitetur.

Sed cùm iam baptiſmum adminiſtrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus eſt, num baptizari uelit: quo quidem per ſe, uel eius nomine, ſi infans ſit, Patrino annuente, ſtatim in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſalutari aqua eum abluit. Qua in re illud præcipuè monere oportet, non quamlibet corporis partem, ſed potiſsimũ caput, in quo omnes tum interiores, tum externi ſenſus uigent, abluẽdum, ſimulq; ab eo, qui baptizat, non ante, aut poſt ablutionem, uerba Sacramenti, quæ formam continent, ſed eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, pronuncianda eſſe.

Poſt Baptiſma.

TErtium uerò cæremoniarum genus eſt earum, quæ peracto iam baptiſmo, addi ſolent, Poſtquam enim Baptiſmus abſolutus eſt.

Primum Sacerdos, ſummum baptizati uerticem Chriſmate perungit, ut intelligat ſe ab eo die Chriſto capiti tanquam membrum coniunctum eſſe, atque eius corpori inſitum, & ea re Chriſtianum à Chriſto, Chriſtum uerò à Chriſmate appellari.

Induit poſtea baptizatum ueſte alba. Quo Symbolo ſignificari ſancti Patres docent.

Tum Reſurrectionis gloriam, ad quam per baptiſmum naſcimur.

Nitorem & pulchritudinem, qua, dilutis peccatorum maculis, anima in baptiſmo ornatur.

Innocentiam atque integritatem, quam in omni uita baptizatus ſeruare debet.

Et deinde cereus ardens in manum traditur, qui oſtendit, fidem charita-

charitate inflammatam, quam in baptiſmo accepit, bonorum operum ſtudio alendam atque augendam eſſe.

Ad extremũ uerò, nomen baptizato imponitur, quod quidem ab aliquo ſumendum eſt, qui propter excellentem animi pietatem & religionem, in ſanctorum numerum relatus eſt,

Miniſter.

Huius Sacramenti miniſtrorum triplex eſt ordo:

Ac in primo quidem, Epiſcopi & Sacerdotes collocandi ſunt, quibus datum, eſt ut iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate, hoc munus exerceant.

Secundum miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi aut Sacerdotis conceſſu, non licere hoc Sacramẽtum adminiſtrare, plurima ſanctorum Patrum Decreta teſtantur.

Extremus ordo illorum eſt, qui cogente neceſsitate, ſine ſolemnibus ceremonijs baptizare poſſunt: nam hoc munus, cùm neceſsitas cogit, permiſſum eſt etiam

Laicis, Fœminis, Iudæis, Infidelibus, Hæreticis.

Si tamen id deficere eis propoſitum fuerit.

Quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit.

Non tamen baptizare debet.

Mulier, ſi mares adſunt.

Laicus item, præſente clerico.

Tum clericus coram Sacerdote.

His miniſtris, ex uetuſtiſsima Eccleſiæ conſuetudine, adhiberi ſolent Patrini, qui olim ſuſceptores, ſponſores, ſeu fideiuſſores, cõmuni uocabulo à rerum diuinarum ſcriptoribus uocabãtur.

In quibus conſiderantur hæc:

Cauſa cur ad baptiſmum præter Sacramenti miniſtros adungerentur, hæc eſt: Vt enim in lucem editi, nutrice & pedagogo indigent: ita etiam neceſſe eſt ut qui ex baptiſmi fonte Spiritualem uitam uiuere incipiunt, alicuius fidei & prudentiæ committantur, à quo ad omnem pietatis rationem inſtitui poſsint.

Officium, quod eſt, ut ſpirituales filios perpetuo comendatos habeant, atque in ijs quæ ad Chriſtianæ uitæ inſtitutionem pertinent, curent diligenter, ut illi tales ſe in omni uita præbeant, quales eos futuros eſſe ſolenni cæremonia ſpoponderunt.

Admonebunt autem eos ex ſententia D. Auguſtini, ut

Caſtitatem cuſtodiant,

Iuſtitiam diligant, Charitatem teneant,

Et ante omnia Symbolum,& orationem Dominicam eos doceant.

Decalogum etiã,& quæ ſint prima Chriſtianæ religionis rudimẽta.

Numerus:Plures enim ne baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, ſed ut unus tantùm,ſiue uir,ſiue mulier, uel ad ſummum unus & una, Tridentino Concilio ſtatutum eſt.

Qui Patrini adſciſci debeant, uel non: Præter parentes enim, quibus non licet eam curationem ſuſcipere,hæretici in primis,Iudæi,& infideles,ab hoc munere omnino prohibendi ſunt:ut qui in ea cogitatione & cura ſemper uerſentur, ut fidei ueritatem mendacijs obſcurent.

De Baptizandis adultis.

BAptizantur Adulti,perſectum iam rationis uſum habentes, qui ſcilicet ab infidelibus oriuntur. Atque hi quidem

Primùm ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam cohortandi,alliciendi, inuitandi ſunt.

Admonendi præterea ſunt, ne ultra tempus ad Eccleſia præſcriptũ, baptiſmi Sacramentum differant.

Nam,quò ſerius ad baptiſmum ueniunt,eo diutius ſibi carendum eſſe cæterorum ſacramentorum uſu & gratia.

Deinde etiam maximo fructu priuari,quẽ ex baptiſmo percipimus.

Ad certum tempus, Differendi ſunt,tribus de cauſis:

Primò,quoniam ab Eccleſia diligenter prouidendum eſt,ne quis ad hoc Sacramentum ficto animo accedat, uoluntas eorum qui baptiſmũ petunt,magis exploratur atque perſpicitur.

Deinde,in fidei doctrina,quam profiteri debent,& Chriſtianæ uitæ inſtitutionibus erudiuntur perſectius.

Præterea maior religionis cultus Sacramento tribuitur, ſi conſtitutis tantùm Paſchæ & Pentecoſtes diebus,ſolenni cæremonia baptiſmũ ſuſcipiant.

Non differendi ſi Vitæ periculum inſtare uideatur.

Ac præſertim, ſi illi abluendi ſint, qui iam fidei myſteria plenè perceperint.

Baptizandorum affectio.

Qui baptizandi ſunt, ſic affecti eſſe debent,

Vt uelint, propoſitumq; illis ſit baptiſmi ſuſcipere. Neque uerò in pueris quoque infantibus, eam uoluntatem deeſſe exiſtimandum eſt, cum Eccleſiæ uoluntas, quæ pro illis ſpondet,abſcura eſſe non poſsit. Vbi notandum eſt,amentes & furioſos,

Qui cùm aliquando compotes mentis eſſent, inſaniam deinde inciderunt,niſi uitæ periculum immineat, & antequam furere inciperent,

uoluntatis baptiſmi ſuſcipiẽdi ſignificationem dederunt, baptizandos non eſſe.

Quòd ſi in mentis poteſtate nunquam fuerunt, eos in fide Eccleſiæ non ſecus ac pueros, baptizandos eſſe, Eccleſię authoritas & conſuetudo ſatis declarat.

Prætere fides etiam, ad conſequendam Sacramenti gratiam maximè, neceſſaria eſt, iuxta illud: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Marc. 16.

Deinde, ut quemlibet, admiſſorum ſcelerum & malæ actæ uitæ pœniteat, atque ut idem in poſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuat, opus eſt.

De Baptiſmo paruulorum.

Etiam pueros infantes baptizandos eſſe, idq; ab apoſtolica traditione Eccleſiam accepiſſe, communis patrum ſententia & authoritas confirmat. Nam

Primò credendum eſt, noluiſſe Chriſtum Dominum, baptiſmi Sacramentum, & gratiam, pueris denegari, de quibus dicebat: Sinite par uulos, & nolite eos prohibere ad me uenire: talium eſt enim regnum cœlorum. Matth. 19. Mar. 10.

Preterea; cùm legimus totam aliquam familiam à Paulo baptizatam eſſe; ſatis apparet, pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe, 1. Cor. 1.

Deinde circunciſio, quæ figura fuit baptiſmi, eum morem maximè commendas. Pueros enim octauo die circuncidi ſolitos nemo eſt qui ignoret.

Poſtremò, cùm per Adæ peccatum, pueri ex origine noxam contraxerint: multò magis, per Chriſtum Dominum poſſunt gratiam & iuſti tiam conſequi ut regenerentur in uitam, quod quidem ſine baptiſmo fieri nullo modo poteſt.

REGVLA.

Neque enim dubitare licet, quin fidei Sacramenta, cùm abluuntur, accipiant, non quia mentis ſuæ aſſenſione credant, ſed quia parentum fide, ſi parentes fideles fuerint: ſin minus, fide (ut D. Auguſtini uerbis loquamur) uniuerſæ ſocietatis Sanctorum, muniuntur.

Baptiſmi fructus.

Effectus baptiſmi ſunt ſaluberrimi, iidemque complures.

PRIMVS.

At primùm baptiſmi proprius effectus, eſt peccatorum omnium, ſiue originis uitio, ſiue noſtra culpa cõtracta ſint, remiſsio: cuius rei cau

ſi a Domino & ſaluatore noſtro inſtitutum eſſe,clariſsimis uerbis Apoſtolorum princeps, ut alia teſtimonia omittamus, explicauit,cum inquit:Pœnitentiam agite,& baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum act.2. Nam & ſi in baptizatis concupiſcentia,uel fomes remaneat : illa tamen uerè peccati rationem non habet,ſed manet tantùm infirmitas:reatus autem concupiſcẽtiæ in batiſmate ſoluitur.

SECVNDVS. Iam uerò,in baptiſmo non ſolùm peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam & ſcelerum pœnæ omnes, a Deo benignè condonantur:Excepto tamen eo pœnarum genere,quæ ciuilibus iudicijs ob graue aliquod ſcelus perſoluendæ ſunt, a quibus per baptiſmũ nemo liberatur.

TERTIVS. Efficit ꝑterea baptiſmus poſt huius uitæ curriculum, pœnarum omnium,quæ originale peccatum conſequuntur, liberationem. Siquidem merito mortis Domini factum eſt,ut hæc conſequi poſſemus. Quòd ſi quærat aliquis,cur ſtatim poſt baptiſmum,& in hac uita ad eum non reſtituamur gradum, in quo Adam fuerat collocatus : id quidem duabus potiſsimum de cauſis factum eſſe reſpondebitur : quarum

Prima eſt,quòd nobis, qui per baptiſmum, Chriſti corpori coniuncti, atque eius membra effecti ſumus,plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quàm ipſi capiti noſtro tributum eſſet.

Altera uerò illa eſt, ut ſcilicet tanquam ſegetem & materiam uirtutis haberemus,ex qua deinde uberiorem gloriæ fructum,atque amplio ra præmia conſequeremur,

Huc accedit, quòd ſi per baptiſmum,præter dona cœleſtia, quibus anima ornatur,corporis etiam bona tribuerentur,dubitari meritò poſſet,quin multi,præſentis potius uitæ commoda,quàm futuræ ſperatam gloriam conſectantes,ad baptiſmum uenirent.

QVARTVS. Neq; ſolùm a malis, quæ uere maxima dicenda ſunt, huius ſacramẽti uirtute liberamur,uerum etiã eximijs bonis & muneribus augemur. Animus noſter,diuina gratia replẽt,qua iuſti et filii Dei effecti, æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur. Eſt aũt gratia,non ſolùm per quam peccatorum fit remiſsio, ſed diuina qualitas in anima inhærens,ac ueluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores & ſplendidiores reddit:Huic autem additur nobiliſsimus omnium uirtutum comitatus, quæ in animam cum gratia diuinitus infunduntur.

QVINTVS. Ad hæc per baptiſmum etiam Chriſto capiti tanquam membra copulamur & cõnectimur, ex cuius plenitudine,in omnes,

nes,qui iuſtificantur,diuina uirtus & gratia diffunditur.

SEXTVS. Tum etiam per baptiſmum conſignamur charactere, qui ex animo deleri nunquam poteſt: ex cuius ui & natura ab eccleſia definitum eſt, baptiſmi Sacramentum nulla ratione iterandum eſſe. Vnus enim Dominus, una fides, unum baptiſma. Neque uerò quiſquã putet, eum ab Eccleſia iterari, cùm adhibita huiuſmodi uerborum formula, aliquem abluit, de quo incertum eſt, an baptizatus prius fuerit: Si baptizatus es, te iterũ non baptizo: Si uerò nondum baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris, & filii, & ſpirituſſancti, ita enim non impiè iterari, ſed ſanctè cum adiunctione baptiſmum adminiſtrari dicendum eſt. Attamen ea baptiſmi forma in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an baptiſmum ritè ſuſceperint.

SEPTIMVS. Prætereà uerò, quæ ex baptiſmo conſequimur, illud ueluti extremum eſt, quò reliqua omnia uidentur referri, quòd ſcilicet cœli aditum, propter peccatum prius interclusum, unicuique noſtrum patefacit.

Hæc autem, quæ in nobis baptiſmi uirtute efficiuntur, ex iis planè intelligi poſſunt, quæ in Saluatoris baptiſmo contigerunt. Vt enim in illo, cœli aperti ſunt, & Spirituſſanctus columbæ ſpecie in Chriſtum dominum deſcẽdens apparuit, ita eis qui baptizantur, diuini numinis chariſmata impartiuntur, & cęlorum ianua reſeratur: non quidem, ut, ſimul atque baptizati ſunt, ſed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, cùm omnium miſeriarum expertes, quæ in beatam uitam cadere non poſſunt, pro mortali conditione, immortalitatem aſſequentur.

EPILOGVS. Atque hi quidem ſunt baptiſmi fructus, quos, ſi quidem ſacramenti uim ſpectemus, æquè ad omnes pertinere dubitari nõ poteſt. ſin autem quo quiſque animo affectus ad illum ſuſcipiendum acceſſerit, conſideremus, plus minusùe cœleſtis gratiæ & fructus ad unum aliquem, quàm ad alium, peruenire, omnino fateri oportet.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

MISTERII SACRAMENTI Confirmationis natura.

Confirmatio dicitur.

NOn ab eo, ut quidam non minus imperitè, quàm impiè, finxerunt, quòd olim qui infantes baptizati erant cùm iam adulti eſſent, ad Epiſcopum adducebantur, ut fidē Chriſtianam, quam in baptiſmo ſuſceperant, confirmarent, ita ut Confirmatio nihil à catecheſi differre uideatur, cuius conſuetudinis nullum, probatū teſtimonium afferri poteſt:

Sed ab eo nomen rei impoſitum eſt, quòd huius Sacramenti uirtute, Deus in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari cœpit, nosq; ad Chriſtianæ ſoliditatis perfectionem adducit: nec uerò confirmat ſolū, ſed auget etiam.

Confirmatio idcirco uocatur, quoniam,

Qui baptizatus eſt, cum ab Epiſcopo, ſacro chriſmate ungitur, additis ſolennibus uerbis &c. niſi aliud Sacramentì efficientiam impediat, nouæ uirtutis robore firmior, atque adeò perfectus Chriſti miles eſſe incipit.

In confirmatione, ueram & propriam ſacramenti rationem, Catholica Eccleſia ſemper agnouit, quod complures ſanctiſsimi declarant uiri, in quibus ſunt,

Melchiades, Clemens, Vrbanus, Fabianus, Euſebius, Rom. Pontifices.

Dionyſius Areopagita. Euſebius Cæſaeien. Ambroſius. Auguſtinus. Sancti Patres.

Ex tribus ſacrę ſcripturæ locis.

Nolite contriſtare Spiritum ſanctū Dei, in quo ſignati eſtis. Ephe. 2.

Sicut unguentū in capite, qđ deſcēdit in barbā, barbā Aaron. Pſ. 132

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Roma. 5.

Differt confirmatio, à baptiſmo. Conſtat enim uarietatem gratiæ quam ſingula Sacramenta tribuunt, & rei ſenſibus ſubiectæ, quæ ipſam gratiam ſignificat, efficere, ut uaria quoque & diuerſa Sacramēta ſint.

Vtriuſque diſcrimen Melchiades pontifex ita deſcribit:

1 In baptiſmate,homo ad militiam re ipi tur,
Et in confirmatione coarmatur ad pugnam.

2 In fonte batiſmatis, Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam:
Confirmatione autem,perfectionem ad gratiam miniſtrat.

3 In baptiſmo regeneramur ad uitam,
Poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur.

4 In baptiſmo abluimur,
Poſt baptiſmum roboramur.

5 Regeneratio per ſe ſaluat in pace baptiſmum recipientes:
Confirmatio armat atque inſtruit ad agones.

In ſumma,

Quantum in naturali uita generatio ab incremento diſtat,
Tantum inter ſe differunt
Baptiſmus,qui regenerandi uim habet:
Et confirmatio,cuius uirtute fideles augeſcunt, & perfectum animi robur aſſumunt.

Originem duxit ab ipſo Chriſto: Qui

Primùm ſic allocutus eſt Apoſtolos ſuos,Sedete in ciuitate,quoadusque induamini uirtute ex alto.

Deinde,Spiritumſanctum in die Pentecoſtes in corda effundit diſcipulorum.

Quam admirabilem effuſionem deſcribit S.Lucas 2.Actor.capite.

Inſtituta eſt,

Non quidem eſt ſalutis neceſsitatem, ut ſine ea ſaluus quis eſſe non poſsit: ſed ut eius uirtute optimè inſtructi & parati inueniremur, cùm nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet.

A nemine tamen prætermitti debet, ſed potius maximè cauendum eſt,nè in re ſanctitatis plena,per quam nobis diuina munera tam largè impertiuntur,aliqua negligentia committatur.

Partes huius Sacramenti ſunt

Materia,quæ Chriſma appellatur;quo nomine

A Græcis accepto,& profani ſcriptores quolibet unguenti genus ſignificant.

Illi tamen, qui res diuinas tradunt, ipſum communi loquendi conſuetudine, ad illud tantum modo unguentum accommodarunt, quod ſolenni Epiſcopi conſecratione conficitur ex

Oleo,quod cùm pingue ſit,& natura ſua dimanet ac diffluat, gratiæ pleni-

plenitudinem exprimit, quę per ſpiritum ſanctum à Chriſto capite in alios redundat atque effunditur. Vnxit enim eum Deus oleo lætitię, prę conſortibus ſuis. Pſ. 44. ac de plenitudine eius nos omnes accepimus Ioan. 1.

Et Balſamo, cuius odoratus cùm ſit iucũdiſsimus, quid aliud ſignificat, quàm fideles, cum Sacramento confirmationis perficiuntur, eam uirtutum omnium ſuauitatem effundere, ut illud Apoſtoli queant dicere: Chriſti bonus odor ſumus Deo? 2. Cor. 2.

Forma quæ abſoluitur his

Verbis: Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & filii, & ſpiritusſancti. In quibus uerbis hæc tria obſeruanda ſunt:

Diuina poteſtas, quæ ut principalis cauſa in Sacramento operatur, in uerb. In nomine Patris, & Filii, & Spiritusſancti.

Robur animi & ſpiritus, quod per ſacram unctionem fidelibus ad ſalutem tribuitur, In uerb. Confirmo te Chriſmate ſalutis.

Signum, quo notatur is, qui in certamẽ Chriſtianæ militiæ deſcenſurus eſt. In uerb. Signo te ſigno crucis.

In confirmandorum.

Aetate, illud obſeruandum eſt, omnibus quidem poſt baptiſmum confirmationem poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus non expectandus uideatur, uſque ad ſeptimum certè hoc Sacramẽtum differre, maximè conuenit, quòd pueri, qui adhuc uſu rationis carent, apti non ſint ad eam pugnam, quę pro fide Chriſti ſuſcipienda eſt.

Ex his uerò efficitur, ut qui adulta iam ętate confirmandi ſunt, ſi quidem huius Sacramenti gratiam & dona conſequi cupiant, eos

Non ſolùm fidem & pietatem afferre,

Sed grauiora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat.

Vnde laudabilis olim fuit Eccleſiæ cõſuetudo, ut non niſi ieiuni hoc Sacramentum ſuſciperent.

Miniſter, Solus eſt Epiſcopus, quem eius conficiendi ordinariam poteſtatem habere oſtendunt.

Sacræ literæ. Acto. 8.

Teſtimonia clariſsima ſanctorum Patrum, atque Pontificum, Vrbani, Euſebii, Damaſi, Innocentii, Leonis, Auguſtini.

Patrinus etiam, ut in baptiſmo fieri demonſtratum eſt, in hoc Sacramento adhiberi ſolet.

Con-

Confirmationis effectus præcipui, numerantur tres:

Primum, Confirmatio hoc cum cæteris Sacramentis commune habet, ut niſi impedimentum aliquod inferatur, nouam gratiam tribuat: ex quo ſequitur, ut peccata etiam condonet ac remittat: Quoniã gratiam ſimul cum peccato, ne fingere quidem nobis licet.

Sed præter hæc, quæ cum aliis communia cenſenda ſunt, primũ quidem illud propriè confirmationi tribuitur, quòd baptiſmi gratiã perficit. Qui enim per baptiſmũ, Chriſtiani effecti ſunt, quaſi infantes modò geniti, teneritatem adhuc & molliciem quandam habent: ac deinde Chriſmatis Sacramento, aduerſus omnes, carnis mundi & diaboli impetus, robuſtiores fiunt: & eorum animus in fide omnino confirmatur, ad confitendum & glorificandũ nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex quo etiam nomen ipſum inuentum eſſe, nemo dubitarit.

Habet præterea Confirmatio eam uim, ut characterem imprimat: quo fit, ut nulla unquam ratione iterari poſsit: quod etiam in baptiſmo ſupra obſeruatum eſt, ac de Sacramento Ordinis quoque, ſuo loco planius exponetur.

Ritibus & Cæremonijs.

Sacro Chriſmate in fronte unguntur. Nam hoc Sacramento Spiritusſanctus in animos fidelium ſeſe infundit, in eisq; robur & fortitudinem auget, ut in ſpirituali certamine uiriliter pugnare, & nequiſsimis hoſtibus reſiſtere queant.

Sed illud quoque ſolenni religione in Eccleſia Dei ſeruatum eſt, ut in Pentecoſte præcipuè hoc Sacramentum adminiſtraretur, quòd hoc maximè die Apoſtoli, Spiritusſancti uirtute roborati & cõfirmati ſint: cuius diuini facti recordatione, fideles admonerentur, quæ quantaque myſteria in ſacra unctione cogitanda eſſent.

Deinde uerò, qui unctus & confirmatus eſt, ut meminerit ſe tanquã fortem athletam paratum eſſe oportere, ad omnia aduerſa inuicto animo pro Chriſti nomine ferenda, manu leuiter in maxilla ab Epiſcopo cæditur.

Poſtremò autem Pax ei datur, ut intelligat ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

FINIS INSTITVTIONIS.

Euchariſtia duabus de cauſis a Chriſto inſtituta eſt.

ALTERA eſt, vt cœleſte animæ noſtræ alimentum eſſet, quo vitam ſpiritualem tueri & conſeruare poſſemus.

Altera, ut Eccleſia perpetuum ſacrificium haberet, quo peccata noſtra expiarentur. Etenim hoc Sacramentum, non ſolùm theſaurus eſt cœleſtium diuitiarum quo ſi bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus & amorem: ſed in eo præcipua quædam ratio ineſt, qua ei pro immenſis in nos collatis beneficijs, aliquam gratiam referre poſsimus.

Nominis acceptio varia

Interdum enim appellatur.

Euchariſtia, quod uerbum Latinè reddere poſſumus, uel Bonã gratiam, tum quia Vitam æternam, de qua ad Rom. 6. ſcriptum eſt, Gratia Dei uita æterna, præſignificat. Chriſtum Dominum, qui uera gratia atque omnium chariſmatum fons eſt, in ſe continet. Gratiarum actionem. ſiquidem cùm hanc Hoſtiam immolamus, immenſas quotidie gratias pro uniuerſis in nos beneficijs Deo agimus.

Sacrificium: de quo myſterio paulò pòſt latius dicendum erit.

Communio: quod uerbum ex illo Apoſtoli loco ſumptũ eſſe liquet, ubi ait: calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?. 1. Cor. 10.

Sacramentum pacis & charitatis; quo nihil nos ſtudioſius ſeruare, quam pacem & charitatem profitemur.

Viaticum, tum quia Spiritualis cibus eſt, quo in huius uitæ peregrinatione ſuſtentamur. Viam nobis ad æternam gloriam & fœlicitatem munit.

Cœna, quòd in illo nouiſsimę cœnæ ſalutari myſterio a Chriſto Domino ſit inſtituta.

Quod

Quod ſit Sacramentum.

Inter ſeptem uerò Sacramenta numerandum eſſe, conuincitur.

Infinitis penè ſacrorum ſcriptorum teſtimonijs.

Ex ipſa ratione & natura ſacramenti.

In eo ſigna ſunt externa & ſenſibus ſubiecta. Habet deinde gratiæ ſignificationem & efficientiam. Præterea de Chriſti inſtitutione, neque Euangeliſtæ, neque Apoſtolus, dubitandi locum relinquunt, Matthæi 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Quæ omnia cùm in unum conueniant, ad Sacramenti ueritatē confirmandam, nullis alijs argumentis opus eſſe proſpicitur.

Conſtat duobus, Viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, Et inuiſibili, Carne ſcilicet & Sanguine ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Auguſt.

Differentia.

Differt a reliquis Sacramentis:

Cætera Sacramenta materiæ uſu perficiuntur, dum ſcilicet alicui adminiſtrari ea contingit: At uerò ad Euchariſtiæ perfectionem ſatis eſt, ipſius materiæ conſecratio: utrunque enim Sacramentum eſſe non deſinit; quamuis in pyxide aſſeruetur.

Deinde in conficiendis alijs Sacramentis, nulla fit materiæ atque elementi, in aliam naturam mutatio: In Euchariſtia uerò, quod panis & uinum ante conſecrationem erat, confecta conſecratione, uerè eſt corporis & ſanguinis Domini ſubſtantia.

Denique Euchariſtia fonti, cætera riuulis comparantur.

Quid indicet.

Tria nobis indicat.

Primum eſt, Chriſti Domini Paſsio, quæ iam præterijt.

Alterum eſt, Diuina & cœleſtis gratia, quæ præſens ad animam alēdam & conſeruandam hoc Sacramento tribuitur.

Tertium eſt (quod futurum prænunciat) æternæ iocunditatis & gloriæ fructus, quem in cœleſti Patria ex Dei promiſsione capiemus.

Materia.

Eſt duplex Sacramenti huius Materia:

Altera, Panis Ex tritico confectus: communi enim loquendi conſuetudine, cùm panis abſolutè dicitur, panem ex tritico intelligi ſatis conſtat. Sicut in ueteri præceptum fuerat teſtamento, ut panes propoſitionis, qui hoc Sacramentū ſignificabant, ex ſimilia conficerentur.

Azymus. Chriſtus enim ipſe, primo azymorum die, quo nihil fermētati domi habere Iudęis licebat, hoc Sacramentū cōfecit atq; inſtituit.

Neque tamen ea qualitas adeò neceſſaria exiſtimanda eſt, ut ſi illa pani deſit, ſacramentum confici non poſsit: utrunque enim panis genus, ueram, & propriam panis rationem & nomen habet: quanquam nemini licet priuata authoritate, uel potius temeritate, laudabilem Eccleſiæ ſuæ ritum immutare: atque eo minùs id facere Latinis Sacerdotibus permiſſum eſt, quibus præterea Pontifices maximi præceperũt, ut ex azymo tantùm Sacra myſteria conficerent.

Quàm multa autem materia ad Sacramentum conficiendum uti oporteat, definitum non eſt: cùm illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui aut poſsint, aut debeant ſacra myſteria percipere.

Altera, uinum, ex uitis fructu expreſſum cui modicum aquæ permixtum ſit. Nam Dominum Saluatorem uino in huius Sacramenti inſtitutione uſum eſſe. Catholica Eccleſia ſemper docuit, cũ ipſe dixerit, Non bibam amodò de hoc genimine uitis, uſque in diem illum. Mat. 26. Marc. 14.

Aquam, Dei Eccleſia uino ſemper admiſcuit. Primùm, quòd id a Chriſto Domino factum eſſe, Conciliorum authoritate, & S. Cypriani teſtimonio comprobatur. Deinde quòd ſanguinis & aquæ: quæ ex eius latere exierunt, hac permixtione memoria renouatur. Tum uerò aquæ, ut in Apocalypſi legimus, populum deſignant: Quare aqua uino admixta, fidelis populi cum Chriſto capite coniunctionem ſignificat.

De hac autem mixtione, tres conſiderandæ ſunt regulæ.

Quanuis aquæ admiſcendæ ita graues rationes ſint, ut eã ſine mortali peccato prætermittere non liceat: ea tamen ſi deſit, ſacramentum conſtare poteſt. Modicam aquam infundendam eſſe. Nam Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia & iudicio, aqua illa in uinum conuertitur. Denique pluribus Decretis ſancitum eſt, nè quid aliud præter panem & uinum, offerre liceat.

Panis & uini Symbola.

Hæc duo Symbola

Primùm Chriſtum nobis ſignificant, ut uera eſt hominum uita. ipſe enim Dominus ait, Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Ioan. 6.

Nonnihil etiam hæc ipſa elementa ad id ualent, ut eam cognitionẽ accipiant homines, eſſe in Sacramento corporis & ſanguinis Domini ueritatem.

Affert etiam aliquid adiumenti hæc admirabilis elementorum mutatio, ad adumbrandum quod fit in anima. Vt enim & ſi nulla extrinſecus panis & uini mutatio apparet, tamen eorum ſubſtantia in carnẽ & ſan-

& ſanguinem Chriſti uerè tranſit: ita etiam tametſi in nobis nihil immutatum uidetur, interius tamen ad uitam renouamur, dum ueram uitam Euchariſtiæ ſacramento accipimus.

Accedit ad hæc, quod cùm unum Eccleſiæ corpus ex multis membris compoſitum ſit, nulla re magis elucet ea coniunctio, quàm panis uiniq́ue elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, & uinum ex multitudine racemorum exiſtit. atque ita nos cùm multi ſimus, huius diuini myſterij uinculo arctiſsimè colligari, & tanquam unum corpus effici declarant.

Harum ſpecierum aptiſſima acceptio.

Summa Dei prouidentia hic ſuſpicienda uenit.

Nam Primùm ſapientiſsimè factum eſt, ut ſanctiſsimum corpus & ſanguis, ſub earum rerum ſpecie, panis, inquam, & uini, nobis adminiſtraretur, quorum quotidiano & communi alimento maximè delectamur.

Adiunctæ etiam ſunt duæ illę utilitates, quarum Prima eſt, quod ab infidelium calumnia liberati ſumus: quas facile effugere non poſſemus, ſi Dominum ſub propria ſpecie comedere uideremur.

Altera eſt, quòd dum corpus & ſanguinem Domini ita ſumimus, ut tamen, quod uerè fit, ſenſibus percipi non poſsit, hoc ad fidem in animis noſtris augendam, plurimùm ualet.

Forma.

Forma Conſecrationis Panis, eſt hæc: Hoc eſt corpus meum.

Vini hæc eſt: Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remiſsionē peccatorum. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Vt autem ſeparatim duæ fiant conſecrationes, optimo iure inſtitutum eſt: Primò enim ut paſsio Domini, in qua ſanguis a corpore diuiſus eſt, magis referatur: cuius rei cauſa in conſecratione ſanguinem effuſum eſſe meminimus. Deinde maximè conſentaneũ fuit; ut quoniam ſacramento ad alendam animam, utendum nobis erat, tanquam cibus & potus inſtitueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum conſtare perſpicuum eſt.

Vſus.

Vſus huius Sacramenti conſiſtit in Præparatione, Sumptione, Communicandi tempore & ritu.

Præ-

Præparatio.

Alia eſt Animi, cuius quinque ſunt præcepta,

Primum, ut fideles diſcernant menſam, à menſa hāc ſacram ab alijs prophanis, cœleſtem hunc panem a communi.

Alterum, ut unuſquiſque a ſeipſo quærat, num pacem cum aliis habeat, num proximos uerè atque ex animo diligat.

Deinde conſcientiam noſtram ſcrutari diligenter debemus, nè fortè exitiali aliquo peccato contaminati ſimus, cuius pœnitere neceſſe ſit, ut prius contritionis & confeſsionis medicamento illud eluatur.

Præterea taciti cum animis noſtris cogitemus, quàm indigni ſimus, quibus diuinum hoc beneficum a Domino tribuatur.

Exquiramus etiā a nobis ipſis, an illud Petri uſurpare nobis liceat, Domine, tu ſcis, quia amo te. Ioan. 21.

Alia eſt Corporis. Nam, Ieiuni ad ſacram menſam accedere debemus. Poſtulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio iuncti ſunt, aliquot dies a concubitu uxorum abſtineant.

Sumptio varia.

Tres Euchariſtiæ ſumendæ diſtinguuntur rationes.

Alij enim Sacramentum tantùm accipiunt, ut peccatores, qui ſacra myſteria impuro ore & corde accipere non uerentur, quos Apoſtolus ait indignè manducare & bibere corpus Domini.

Spiritu tantum modò Euchariſtiam ſumere dicuntur. ij ſunt, qui deſiderio & uoto propoſitum cœleſtem illum panem comedunt, fide uiua incenſi, quæ per dilectionem operatur.

Sacramento & ſpiritu ſacram Euchariſtiam percipiunt, qui cum ex Apoſtoli doctrina priùs ſe probauerint, ac ueſte nuptiali ornati, ad diuinam hanc menſam acceſſerint, ex Euchariſtia capient uberrimos fructus.

Tempus.

Admonendi ſunt fideles,

Omnibus quidem eam legem propoſitam eſſe, ut ſacram Euchariſtiam accipiant.

Excipi tamen eos Qui nondum rationis uſum propter ætatis imbecillitatem habent, ut infantes. A mentibus præterea, qui tunc a pietatis ſenſu alieni ſunt, Sacramenta dare minimè oportet.

Vtrum autem ſingulis menſibus, uel hebdomadis, uel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt. ſed certiſsima

ma eſt illa Beatus Auguſt. Sic uiue, ut quotidie poſsis ſumere. Olim tamen ſancitum eſt, ut fieret hæc ſumptio ab omnibus quotannis.

Ter: Natali Domini, Reſurrectione, Pentecoſte.

Semel ad minus in Paſcha.

Vt in Concilio Agathenſi primo; & aliis multis.
Lateranenſi ſub Innocentio III.

Ritus.

Quòd ad communicandi ritum pertinet, Eccleſię lege interdictum eſt, ne quis ſine ipſius Eccleſiæ authoritate, præter ſacerdotes, corpus Domini in ſacrificio conficientes, ſub utraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat. Quæ conſuetudo ab Eccleſia multas ob cauſas approbata eſt, potiſsimùm ad conuellendam eorum hæreſim, qui negabāt ſub utraque ſpecie totum Chriſtum eſſe, ſed corpus tantùm exangue ſub panis, Sanguinem autem ſub uim ſpecie contineri aſſerebant.

Fructus.

Admirabiles huius Sacramenti ſunt, fructus.

Nam 1 Fons eſt omnium gratiarum, cùm fontem ipſum cœleſtium chariſmatum & donorum Chriſtum Dominum in ſe contineat.

2 Quos uſus corpori panis & uinum adfert, eos omnes animæ ſaluti & iocunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Euchariſtiæ ſacramentum præbet.

3 Gratiam in animam influit, cum eum purè & ſanctè accipit, qui de ſeipſo dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis & religionis ſtudio affecti, hoc ſacramentum ſumunt, Chriſti corpori tanquam uiua membra inſeruntur, ſiquidem ſcriptum eſt, Qui manducat me, & ipſe uiuet propter me. Nec tamen hoc ita intelligendum eſt, perinde ac neceſſe non ſit, ut qui re ipſa hoc ſacramētum utiliter percepturus eſt, gratiam antea adeptus fuerit. Conſtat enim quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non uiuit, ſacra myſteria non prodeſſe. Non enim reuocandæ ad uitam animæ, ſed in uita conſeruandæ cauſa inſtituta ſunt.

4 Vti corpus cibo naturali non conſeruatur modò, ſed etiam augetur, guſtusq; nouam quotidie ex eo uoluptatem & ſuauitatem percipit; ita etiam ſacræ Euchariſtiæ cibus, non ſolùm animam ſuſtentat, ſed uires illi addit, efficitq; ut ſpiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur.

5 Remittuntur Euchariſtia & condonantur leuiora peccata, quæ uenialia dici ſolent.

6 Eu-

ſanguis meus, Matth.26. Mar.14. Luc.22. Pauli. 1.Cor.10.& 11.

Communi ſententia patrum, præcipuè uerò Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, &c.

Authoritate Conciliorum, ſpeciatim Vercellenſis, Turonenſis, Romanorum duorum (Aduerſus Berengarium) Lateranenſis ſub Innocētio III. Conſtantienſis, Florentini, Tridentini, &c.

Authoritate ſymboli Apoſtolici. Cùm enim Dei ſummam omniū rerum poteſtatem fideles credunt, & confitentur, credant etiam neceſſe eſt, poteſtatem ei non defuiſſe maximi huius operis efficiendi, quod in Euchariſtiæ Sacramento admiramur & colimus. Deinde cùm credunt ſanctam Eccleſiam Catholicam, neceſſariò ſequitur, ut ſimul credant eam eſſe, quam explicauimus, huius ſacramenti ueritatem.

Concomitantia.

Concomitantia, ex qua oſtenditur

Totum Chriſtum uſqueadeò tam in panis, quàm in uini ſpecie contineri, ut quemadmodum in panis ſpecie, non corpus modò ſed etiam ſanguis & totus Chriſtus uerè ineſt, ſic contra in uini ſpecie nō ſolùm ſanguis, ſed corpus & totus Chriſtus uerè inſit.

Neque uerò ſolùm in utraque ſpecie, ſed in quauis utriuſque ſpeciei particula, totum Chriſtum contineri Sic enim Auguſtinus ſcriptū reliquit: Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

Contemplationis vtilitas.

Vtilitates & fructus, quos capiunt fideles ex huius Sacramenti contemplatione.

Primum enim intelligunt, quanta ſit Euāgelicæ legis perfectio, cui datum eſt id reipſa habere, quod ſignis tantùm & figuris Moſaicæ legis tempore adumbratum fuerat.

Præterea fideles hoc ſacramento Chriſti Saluatoris noſtri perfectiſſimam charitatem experiuntur, qua naturā, quam a nobis ſumpſerat, a nobis nunquam ſubtrahere, ſed quantum fieri poſſet, eſſe uerſarique nobiſcum uoluit.

Tranſſubſtantiatio.

Cum in Sacramento Euchariſtiæ tota unius rei ſubſtantia in totam alterius rei ſubſtantiam tranſeat, rectè & ſapienter a maioribus noſtris iſta conuerſio appellata eſt Tranſſubſtantiatio. Quæ & ipſa

Probatur

Authoritate Chriſti Primùm quòd in eius ſacramenti inſtitutione ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum. Vocis enim Hoc, ea uis eſt, ut omnem rei præſentis ſubſtantiam demonſtret. Quòd ſi panis ſubſtantia remaneret, nullo modo uerè dici uideretur: Hoc eſt corpus meum. Deinde Chriſtus Dominus apud Ioan. 6. Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi uita: Panem uidelicet carnem ſuā uocans.

Authoritate Conciliorum Lateranenſis magni, Florentini, Triden.

Authoritate Diuorum Patrum. Ambroſii, Hilarii, Auguſtini, Damaſceni, &c.

Qui unanimi conſenſu fatentur omnes.

Ante conſecrationem, panem eſſe, & uinū, quod natura formauit.

Poſt conſecrationem uerò, carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit.

Ita ut corpus ſecundum ueritatem coniunctum ſit diuinitati.

Non ꝙ ipſum corpus aſſumptum, de cœlo deſcendat:

Sed ꝙ ipſe panis & uinum, in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutentur. Damaſcen.

Ratione. Etenim ſi eſt uerum Chriſti corpus ſub panis & uini ſpecie poſt conſecrationem; omnino neceſſe eſt, cùm ibi antea non eſſet, hoc uel loci mutatione, uel creatione, uel alterius rei in ipſum conuerſione factum eſſe. At uerò fieri non poſſe conſtat, ut corpus Chriſti in Sacramento ſit, quòd ex uno in alium locum uenerit: ita enim fieret, ut a cœli ſedibus abeſſet: quoniam nihil mouetur, niſi locū deſerat, a quo mouetur. Creari autem corpus Chriſti, minus credibile eſt, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc poteſt. Relinquitur ergò, ut in Sacramento ſit corpus Domini, quòd panis in ipſum cōuertatur, quare nulla panis ſubſtantia remaneat neceſſe eſt.

Declaratur Modo ipſius conuerſionis: quę ita ſit, ut tota panis ſubſtantia, diuina uirtute in totam corporis Chriſti ſubſtantiam, ſine ulla Domini noſtri mutatione, conuertatur. Neque enim Chriſtus aut generatur, aut mutatur, aut augeſcit, ſed in ſua ſubſtātia totus permanet.

Duabus ueluti regulis: Prima eſt, quo pacto ea mutatio fieri poſſit, curioſius non inquirendum, ſed potius fide quid hoc ſit, cognoſcendum. Qua in re fideles animos ſuos illa uoce præmunire debent, Non erit impoſsibile apud Deum omne uerbum.

Altera eſt, Chriſtum Dominum in hoc Sacramento, ut in loco non eſſe. etenim locus res ipſas conſequitur, ut magnitudine aliqua prędita ſunt; Chriſtum uerò Dominum ea ratione in ſacramento eſſe non dicimus, ut magnus aut paruus eſt, quod ad quantitatem pertinet, ſed ut ſubſtantia eſt. Subſtantia enim panis, in Chriſti ſubſtantiam, non in magni-

magnitudinem aut quantitatem conuertitur. Nemo uerò dubitat, ſubſtantiam æquè in paruo atque in magno ſpatio contineri.

Tertium reſtat, quod in hoc Sacramento maximum atque admirabile uideatur: quod quidem, iam duobus aliis explicatis, facilè probari poteſt; Panis uidelicet & uini ſpecies in hoc Sacramento ſine aliqua re ſubiecta conſtare. Nam cùm antea demonſtratum ſit, corpus domini & ſanguinem uerè in Sacramento eſſe, ita ut nulla amplius ſubſit panis, & uini ſubſtantia, quoniam ea accidentia Chriſti corpori & ſanguini inhærere non poſſunt: relinquitur, ut ſupra omnem naturæ ordinem, ipſa ſe, nulla alia re uiſa, ſuſtentent. Hæc perpetua & conſtans fuit Catholicæ Eccleſiæ doctrina.

Euchariſtiam eſſe Sacrificium.

Porrò Euchariſtia

Habet præter Sacramenti uim, etiam ſacrificii rationem: Quod Exprimitur uaticinio Malachiæ, his uerbis: Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda &c.

Præfiguratur in Melchiſedech ſacrificio. ipſe enim Saluator ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum in extrema cœna ſub ſpeciebns panis & uini Deo patri obtulit.

Inſtitutum eſt a Chriſto in extrema illa nocte, cùm hæc ipſa ſacra myſteria Apoſtolis commendans: Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Eos enim, quemadmodum a ſancta Synodo definitum eſt, tunc, ſacerdotes inſtituit: præcepitq; ut ipſi, & qui eis in ſacerdotali munere ſucceſſuri eſſent, corpus eius immolarent & offerrent.

Differt a Sacramento:

Primò,	Sacramentum conſecratione perficitur. Omnis uerò ſacrificii uis, in eo eſt, ut offeratur.
Secundò,	Vt ſacramentum eſt, iis qui diuinam hoſtiam ſumũt, meriti cauſam affert, & omnes illius vtilitate, quę ſupra commemoratæ ſunt. Vt autem ſacrificium eſt non merendi ſolùm, ſed ſatisfaciendi quoque efficientiam continet.

Fit uni Deo: etſi Eccleſia interdum miſſas in memoriam & honorem ſanctorum celebrare conſueuit, nõ tamen illis ſacrificium, ſed uni Deo qui ſanctos immortali gloria coronauit, offerri docuit.

Offertur quotidie in Miſſa diuina. Neque enim cruenta & incruenta hoſtia duæ ſunt hoſtiæ: ſed unum idemq; ſacrificium eſſe fatemur, &

haberi debet, quod in Miſſa peragitur, & quod in cruce oblatum eſt: quemadmodum una eſt & eadem hoſtia, Chriſtus, uidelicet Dominus noſter, qui ſeipſum in ara crucis ſemel tantummodo cruentum immolauit. Sacroſanctum autem miſſæ ſacrificium.

Eſt non ſolùm laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificii, quod in cruce factum eſt, ſed uerè etiam propitiatorum ſacrificium, quo Deus nobis placatus & propitius redditur.

Prodeſt Non ſolùm Immolanti, & Sumenti:
Sed omnibus etiam fidelibus, ſine illi.

Nobiſcum in terris uiuant:
Iam in Domino mortui, nondum planè expiati ſint.

EX QVO FACILE PERSPICITVR.

Omnes Miſſas, communes cenſendas eſſe, ut quæ ad communem omnium fidelium utilitatem & ſalutem pertinet.

DE

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

POENITENTIAE MATERIA SEV partes ſunt tres

PRIMA Cordis contritio,cuius duo ſunt requiſita.

1 DOLOR de præteritis, deteſtando peccatum ſupra omne deteſtabile & odibile.

2 Propoſitum confitendi, ſatisfaciendi, abſtinendi de futuro, & uitādi peccatum ſupra omne uitabile.

Dolor de peccatis eſt duplex.

1 Perfectus,cum quis odit peccatum ſupra omne odibile, & dicitur contritio.

2 Imperfectus,cum quis odit peccatum,ſed non ſupra omne odibile,& dicitur attritio.

Dolentium de peccatis,quatuor ſunt gradus.

1 Eſt confitentium cum uera contritione, ſcilicet humana & formata charitate,horum admittitur cõfeſsio, & his impenditur beneficium abſolutionis.

2 Eſt confitentium ſolum cum uera cõtritione humana, ideſt habēt odio peccatum ſupra omne odibile,nihil diuini amoris ſentientes.Horum confeſsio admittitur,cum beneficio abſolutionis. Hos enim credimus uirtute clauium charitatem acquirere.

3 Eſt confitentium cum attritione quidem laudabili,contritione autem ambigua,ideſt dolor eorum non eſt talis,ut ſit ſupra omne odibile & uitabile. Horum confeſsio admittitur cum beneficio abſolutionis. Dubium tamen eſt, an uirtute clauium, de attritis fiant contriti. confeſſor enim non debet nimis exactè inueſtigare diſplicentiam peccati,deſcendendo ad particularia,puta, an potius uelit mori quàm peccare, ne inducat pœnitentem in tentationem.

4 Eſt confitentium ſola attritione,quorum incõtritio eſt certa, quia non habent uoluntatem deliberatam, dimittendi peccatum,ut ſunt uſurarii,qui nolunt reſtituere, & omnes qui nolũt adimplere ea ad quæ tenentur. Horum admittitur confeſsio, ſed non impenditur beneficium abſolutionis.

AVDI-

AVDITVRVS confeſsionem, primùm accedés cum timore, oret cum propheta, cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis (ideſt ut faciam non cupiditate, aut aliqua mala intentione, ſed pro tua gloria, & animarum ſalute) ne proiicias me a facie tua (ideſt a lumine uultus tui, ne errem per ignorantiam,) & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me (permittendo me cadere in tentationem audiendo aliena peccata) redde mihi lætitiam ſalutaris tui, (ideſt poſt auditam confeſsionem, non remaneant in mente immunditiæ, ſed deuotio, &c.) Deinde ſuſcepto pœnitente alacriter, reſeruando increpationes in fine, cognito eius ſtatu, quærat primo, an ſit excommunicatus.

PRAEAMBVLA INTERROGATORIO.

Cognito ſtatu & conditione pœnitentis & expedito in his quæ attinent ad excommunicationem, eo modo quo ſupradictum eſt:

Primò, Aduertat confeſſor ut pœnitens decenter ſeſe habeat, ſcilicet utroque genu flexo & capite nudo & facie non ad ſacerdotem, ſed ad eius latus uerſa, quo ſic compoſito, faciat illum muniri ſigno ſanctæ Crucis & dicere confeſsionem generalem quam ſi neſcit dicat cum illo uulgariter: deinde petat de tempore a quo non eſt confeſſus, nec cõmunicauit. Secundò, An peregerit pœnitentiam iniunctam & adimpleuerit ea ad quæ teneri eum declaratum fuit in præcedentibus confeſsionibus. Tertiò, An in præteritis cõfeſsionibus omiſerit aliquod peccatum ſcienter. Quartò, An uolens confiteri examinauerit conſcientiam. Quintò, An habeat aliquod peccatum mortale quod nolit relinquere. qualis eſt uſura, concubina, odia & ſimilia, quæ communiter homines alicuius ſtatus committere ſolent, ut ſimonia in clericis, quod ſi ſic eſt non audiatur, ſed conſilio adiuuetur. His præmiſſis ut oportere iudicabit confeſſor, dicat pœnitenti, ut quæ cogitauit, & in memoria habet, dicat, & quamuis ille malit interrogari, nihilominus exhortandus eſt ut dicat prius quod meminit. iuuat enim id, licet inordinatè & imperfectè faciat.

SECVNDA Oris confeſſio, cuius duæ ſunt ſpecies.

1 Valida, cuius ſunt ſexdecim conditiones, his uerſibus, contentæ.

Sit ſimplex, humilis, confeſsio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, uerecunda,
Integra, ſecreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Ex his quinque ſolum ſunt neceßariæ abſolute, ſcilicet Integra, Vera, Doloroſa, Accuſans, & Secreta.

SIMPLEX, ideſt ſine duplicitate ac arte. HVMILIS, ideſt cum cognitione, ſubiectione, uerbis humilibus, genibus flexis, capite diſcooperto. PVRA, ideſt ſine admixtione impertinentium confitendo peccata ſua, & non aliena. FIDELIS, ideſt ſine mendacio, dicendo certa pro certis, & dubia pro dubiis. FREQVENS, ideſt ſemel in anno, & quoties conſcientia dictat eſſe utile ad uitanda peccata. & quoties iſtet articulus neceſsitatis & mortis, uel eius periculi, uel penuria confeſſoris idonei, uel qui poſsit abſoluere. NVDA, ideſt ſine inuolucris, & obſcuritate uerborum. DISCRETA, ideſt eligendo idoneum confeſſorem, utendo uerbis honeſtis, dicendo peccata ſimul & diuiſim prout conuenit. LIBENS, ideſt non tãtum metu pœnæ diuinæ, uel eccleſiæ, aut infamiæ, aut amore ſanitatis, ſed ut reconcilietur Deo. VERECVNDA, ideſt ſine iactantia, erubeſcendo in ſemetipſo coram Deo & confeſſore. INTEGRA, ideſt confitendo omnia peccata mortalia, & quæ dubitat mortalia, & quæ conſcientia dictat eſſe confitenda, & circunſtantias aggrauantes peccata, & animum non confitendi, uel non abſtinendi. SECRETA, ideſt non per literas, nuncios, aut coram teſtibus. LACRIMABILIS, ideſt cum contritione. ACCELERATA, ideſt quàm totius habere animum confitendi, & quoties inſtat neceſsitas, id fiat celeriter. FORTIS, id eſt ſuperans timorem & pudorem. ACCVSANS, ideſt ſibi & non aliis imputans, non excuſando. PARERE PARATA, ideſt paratus ad ſatisfactionem pro peccatis debitam rationabiliter imponendã.

2 Inualida, quæ ſit ex ſeptem caſibus, ex quibus, eſt iterãda, quatuor ex parte confitentis, & tribus, ex parte confeſſoris.

1 Si deſit omnino contritio de præteritis, uel adſuit animus non relinquendi peccatum, uel non adimplendi, ad quod tenetur.
2 Si confeſsio non fuit integra ex malitia, uel uerecundia, aut ex craſſa negligentia uel ignorantia.
3 Si non peregit pœnitentiã, ex contẽptu uel notabili negligentia.
4 Si pœnitens exiſtens excommunicatus, prius abſolutus fuit a peccatis, quam ab excommunicatione.
5 Si confeſſor noluit, ideſt non habuit intentionem abſoluendi, uel pœnitens mutat confeſſorem nondum percepta abſolutione a priore.
6 Si confeſſor neſciuit, ideſt fuit omnino ignorans, eiusq; ignoran-

tiæ

tiæ non ſuppleuit ſcientia pœnitentis.
7 Si conſeſſor non potuit,ideſt non erat ſacerdos,uel non habuit iuriſdictionem ſupra pœnitentem,uel erat publicè ſuſpenſus, excommunicatus uel interdictus.

Aduertendum tamen quòd geſta per confeſſorem habentem occultum impedimentum,tenent de iure communi, duobus concurrentibus,ſcilicet titulo publici officii,& communi errore facti, ideſt quia eſt inſtitutus curatus,& neſcitur ipſum eſſe excommunicatum, hoc tamen ampliatum eſt per Concilium Conſtantienſe.

TERTIA Operis ſatisfactio, quæ triplex eſt, ſcilicet

1 Oratio.
2 Eleemoſina corporalis ſeu ſpiritualis.
3 Ieiunium, accipiendo nomine ieiunii quamcunque afflictionem corporalem,ut peregrinationes, diſciplinas, &c.

Tribus caſibus poteſt confeſſor non iniungere pœnitentiam.

1 Si conſtat ei, pœnitentem omnino ſatisfeciſſe.
2 Si pœnitens eſt impotens,ut ſunt infirmi, tunc ſolum debet eis indicari, & adiuuandus eſt infirmus eccleſiæ ſuffragiis.
3 Quando nullam omnino uult acceptare,offerens ſe ſatisfacturum in purgatorio. Confeſſor tamen potius quam dimittere eum ſine pœnitentia,uel non conſolatum,iniungat ſolum unum Pater noſter.

Quatuor præ oculis habenda ſunt, uolenti ritè iniungere pœnitentiam, quam ante & poſt abſolutionem poteſt iniungere, melius tamen ante.

1 Status peccatoris,nam in aliena poteſtate conſtituto, non ſunt iniungendæ pœnitentiæ,quæ ſunt in præiudicium ſuperioris.
2 Diſpoſitio peccatoris tam corporalis,quàm ſpiritualis, nam malè diſpoſito uel bene contrito,parua eſt iniungenda pœnitentia.
3 Grauitas,qualitas, & quantitas, peccatorum.
4 Canones pœnitentiales,licet pœnitentiæ ſunt arbitrariæ,quia ſunt lumen confeſſori & pœnitenti,uidentibus iudicium eccleſiæ in dandis pœnitentiis.

Tria requiruntur ut alius poſſit fructuosè pro alio ſatisfacere.

1 Quòd ambo ſint in charitate & gratia Dei.
2 Cauſa rationabilis uel articulus neceſsitatis, non enim licet tranſire de maiori bono ad minus, ſine cauſa rationabili.
3 Licentia confeſſoris,qui talem pœnitentiam iniunxit.

Forma

Forma quæ aliter dicitur abſolutio.

Ego te abſoluo. Ego non eſt de neceſsitate, nam poteſt omitti, licet non ſine peccato ſicut peccat dicens, non abſoluimus uos. tenent tamen tales abſolutiones.

Reliqua quæ dicuntur, ſunt ſolum de conſuetudine, ideo non decet omittere, ſcilicet,

Miſereatur. & Indulgentiam. & abſolutionem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ipſe abſoluat te. & ego authoritate qua fungor, licet, mihi indigniſsimo conceſſa, abſoluo te, ab omni uinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, ſi quam incurriſti, quatenus poſſum, & indiges. Et iterum, ego te abſoluo, ab omnibus peccatis tuis mihi confeſsis pariter & oblitis.

Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & quicquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſsionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium uitæ æternæ.

Abſolutio ſacramentalis data ſub conditione de futuro, non tenet, licet teneat data ſub conditione de præſenti, & de præterito. non eſt tamen laudabile aliquo modo, abſoluere ſub conditione, nec ſub ratihabitione.

Abſolutionem ſacramentalem præcedere debet abſolutio ab excōmunicatione, ſecus eſt a caſibus reſeruatis. poteſt enim præcedere & ſubſequi. melius tamen faceret confeſſor, petere licentiam abſoluendi a ſuperiore, uel mittere prius peccatorem ad illum.

Excommunicatio. quæ eſt duplex.

MINOR inquam incurritur participando cum excommunicatis in quinque caſibus a iure prohibitis & hoc uerſu contentis.

Os, orare, uale, communio, menſa negatur.

OS, ideſt prohibetur collocutio. ORARE, ideſt ſimul intereſſe orationi, miſſæ, & diuinis officiis, non autem intereſſe contioni, & ingreſſus templi. VALE, ideſt non ſalutare nec ſcribere. COMMVNIO, ideſt participatio in ſacramentis. MENSA, ideſt ſimul comedere & bibere.

Excipiuntur tamen hinc quinque, quibus licet participare cum excommunicatis, hoc uerſu contenta.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

VTILE, ideſt meæ utilitatis cauſa, puta conſilii, eleemoſinæ, debiti conſequendi, uel ſuæ conuerſionis gratia. LEX, ſcilicet matrimo-

iij,uxor enim non prohibetur participare cum marito excommunicato,non autem econuerſo.HVMILE, ideſt ſerui & filii poſſunt communicare cum ſuperioribus excommunicatis, non autem econuerſo. RES IGNORATA,ideſt cum neſcio aliquem excommunicatũ. NECESSE, ideſt neceſsitas uictus, conſilii, damni uitandi, metus cadentis inconſtantem uirum & ſimilia.

Minoris duo ſunt effectus.

Priuatio paſsiuæ participationis ſacramentorum,cui ſi ſe immiſceat peccat mortaliter,ſicut ſi ſe immiſceat actiuæ,licet ea non ſit priuatus. Paſsiua collatio ad dignitates & beneficia,non autem actiua.

Abſolutio.

Quilibet ſacerdos potens audire confeſsione, poteſt ab illa abſoluere,nulli enim eſt reſeruata.

Caſus duo ex quibus contrahitur minor excommunicatio participando cum excommunicatis maiori excommunicatione.

Vel quòd ſit notorius percuſſor clerici, in quem quouis modo manum uiolentam iniecerit.

Vel quòd ſit publicè & nominatim denunciatus pro excommunicato.In reliquis non teneor uitare aliquem,licet ſciam eum excommunicatum.Similiter dic quòd tenent geſta per confeſſorem irretitum ceuſuris eccleſiaſticis,ſic enim terminatum fuit in Concilio Conſtatienſi, ut refert Gaietanus in uerbo, Abſolutionis impedimenta,dicens quòd conceditur receptio ſacramentorum a miniſtris excommunicatis,dũmodo non ſint altero duorum modorum.

MAIOR inquam incurritur contrafaciendo præceptis quibus eſt annexa excommunicatio, quæ annexis poteſt fieri multipliciter.

Vel dicendo ſit excommunicatus, aut ipſo facto, aut ipſo iure, uel ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ,uel ſubiaceat excommunicationi.Tunc omnibus iſtis modis poſita excommunicatione, contrafaciens ſtatim remanet excommunicatus.Si uerò utatur uerbis futuri temporis, uel comminatoriis, nihil addito ex ſupradictis, delinquens, licet contrafaciendo peccet mortaliter, non tamen eſt excommunicatus.

Effectus maioris excommunicationis ſunt duodecim.

Priuatio actiuæ & paſsiuæ participationis ſacramentorum. Bonorum operum eccleſiæ & orationum.Regni cœleſtis,ſi eſt iuſta,uel etiã iniuſta & malè contemnitur. Excluſo ab actu cuiuſcunque ordinis, quod ſi exequatur fit irregularis.Priuatio actiuę & paſsiuę collationis, dignitatum etiam laicarum,necnon beneficiorum,& de iam acquiſitis

fructus percipere non poſſunt,quandiu ſunt in mora petendæ abſolutionis. & qui annum perſeueraret, integrũ, poſſet haberi ſuſpectus de hæreſi,& priuari omnibus beneficiis. Excluſio ab ingreſſu religionis, niſi prius abſoluatur. Ab executione officiorum & uſu iuriſdictionis. A ſpirituali poteſtate & poſsit ordinare nec ordinari, niſi ſecreti & tolerati ſint. Ab omni actu legali ut aduocare,procurare,inſtrumenta facere, & ab aliis actibus in quibus homines communicant. Poſtremo ab eccleſiaſtica ſepultura.

Maioris excommunicationis, duæ ſunt ſpecies.

Quædam ſunt a iure, quæ obligant in perpetuum, & ſunt illæ quæ ſunt regiſtratæ in corpore iuris canonici in extrauagantibus Pontificum, & conciliis quibuſcunque.

Quædam ſunt ab homine, ut ſunt illæ quæ feruntur a iudicibus. & hæ, mortuo illas ferente, ſpirant. illis tamen innodatus indiget abſolutione.

Abſolutio a maiori eſt uaria.

Aliquando eſt Papalis, aliquando eſt Epiſcopalis, aliquando (ſi eſt ab homine)ſpectat ad ferentem, quod ſi nulli ex prædictis eſt reſeruata,quilibet ſacerdos potens audire confeſsiones,poterit abſoluere, ſecundùm doctores,ideo nota uerba canonum.

Forma ſolenniter abſoluendi,a maiori in atrocibus criminibus.

Præſtet iuramentum parendi eccleſiæ & ſibi ab eo imponendis. 2. Nudatos eius humeros(niſi ſit in publico uel mulier)uirga percutiendo dicat unum pſalmum pœnitentialem cum,Gloria patri, & Kyrieeleyſon, & quatuor uerſiculos, ſcilicet ſaluum fac. Nihil proficiat. Eſto ei.Domine exaudi.& orationem, Deus cui proprium, mutando delictorum in excommunicationis & iniuncta prius ſatisfactione debita, abſoluat dicens; Ego te abſoluo a uinculo excommunicationis quam propter talem cauſam incurriſti,& reſtituo communioni fidelium. poſtremo mandet quod mandaturus eſt.

Miniſter.

Sacerdos proprius qui eſt quadruplex.

1 Papa eſt proprius ſacerdos omnium Chriſtianorum.
2 Epiſcopus, ſuorum diœceſanorum.
3 Parochus ſuorum parochianorum.
4 Delegati a prædictis fiunt proprii ſacerdotes eo modo quo ſunt delegantes,niſi fiat limitatio.delegatus tamen ad confeſsiones non habet caſus reſeruatos, & cui conceditur abſolutio a caſibus reſeruatis, non cenſetur conceſſa a cenſuris,& econuerſo.

Sex ſunt caſus, in quibus pœnitens non tenetur confiteri proprio ſacerdoti.

1 Neceſsitas mortis, tunc abſente proprio ſacerdote, quilibet ſit pro prius & ab omnibus poteſt abſoluere ſicut Papa. Pœnitens tamen ſi conualeſcat tenetur ſe præſentare quam totius ſuperiori, alioquin in eiſdem cenſuris & caſibus detinetur, quibus prius erat ligatus; hoc priuilegium non habet neceſsitas communionis & miſſæ. Non habenti proprium ſacerdotem ſufficit contritio.
2 Libertas uel quia nulli eſt ſubiectus, ut Papa, uel quia uagus, uel quia ſolum confitetur peccata uenialia.
3 Facultas eligendi confeſſor eſt a iure uel per iubileum, & confeſſionalia conceſſa.
4 Licentia explicitè conceſſa uel implicitè.
5 Conſuetudo habendi curam animarum præſcripta operetur ut habens huiuſmodi curam poſſit eorum audire confeſsiones, eisq́, dare licentiam confitendi alteri, ſecus eſt de conſuetudine eligendi confeſſorem qui præſcribi non poteſt.
6 Si proprius confeſſor eſt publicè ſuſpenſus excommunicatus & interdictus, uel eſt reuelator confeſsionum, uel ſolicitator ad malum, ita quòd cum audierit me in aliquod genus peccati incidiſſe ſolicitabit me ut iterum committam, uel etiã ſine hoc caſu ſolet ſolicitare ad malum confitentes.

Miniſtri ſiue proprij ſacerdotis quinque ſunt conditiones.

Poteſtas quæ eſt duplex.

1 *Ordinis, ideſt, quòd ſit ſacerdos.* laicus enim etſi in articulo mortis poſsit audire peccata, non poteſt abſoluere ſacramentaliter. quod ſi faceret eſſet irregularis, aliquis tamen conſtitutus in tali neceſsitatis articulo, non tenetur confiteri laico.

2 Iuriſdictionis quæ eſt duplex.

1 Ordinaria, ut, eſt illa proprii ſacerdotis ut Papa, Epiſcopi, & Parochi.
2 Delegata qualis eſt illa ſubſtitutorum ab habentibus ordinariam.

Differunt autem inter ſe ordinaria, & delegata.

Quòd habens ordinariam poteſt delegare, & ſubſtituere; habens uerò delegatam non poteſt.

Bonitas, ideſt, quod non ſit in peccato mortali. nam ſic audiens confeſſionem peccat mortaliter.

Pru-

Prudentia.

Sit prudens permittendo pœnitentem dicere pro ſe ea quorum meminit. Hoc enim præbet lumen confeſſori, quia hinc colligere poteſt de quibus debeat pœnitentem interrogare, & magis expedit pœnitenti per ſe dicere peccata, quam reſpondere non eſt ſic.

Caueat ne interrogando doceat mala, quę ignorantur, ſolum interroget ſi quid ommiſſum dubitat, & pertinentia.

Non ſit moleſtus nimis exactæ quærendo numerum peccatorum.

Cognita ſpecie peccati, non quærat modum.

Vtatur uocabulis honeſtis.

Sit prudens ad inducendum pœnitentem ad duo, ſcilicet diſplicentiam peccati & ad propoſitum firmum uitandi illud excidendo cauſas peccatorum.

Sit prudens in iniungendo pœnitentiam, reſpiciens magis proportionem ad peccatorem, quam ad peccata.

Sigillum, ideſt ad quod non ſolum tenetur confeſſor, ſed etiam interpres & quicunque uel dedita opera, uel caſu audiuit confitentem peccata ſua, ſe extendit.

Ad occultandum omnia peccata audita in confeſsione.

Necnon & ad illa per quæ poſsit ſciri peccatum.

Et uirtutes per quas poſsit ueniri in cognitionem peccati illius uel alterius ſibi confeſsi.

Non dicat, licet poſsit, non abſolui, ſed dicat functus ſum officio meo.

Nullo præcepto, metu, ui, pœna, cõminatione reuelet peccata, imò poteſt licitè iurare ſe nil ſcire.

Peccatum publicum habitum in confeſsione non poteſt reuelari, dicendo confeſſus eſt mihi.

Curatus rogatus pro communicando publico peccatore, non quærat a confeſſore an eum abſoluerit, uel ſi ipſe audierit & non abſoluerit, non dicat non abſolui, ſed in utroque caſu dicat publicè, pœniteat.

Prædictis contrafaciens, non ſemper dicitur fractor ſigilli.

SCIENTIA.

Sciat diſcernere inter peccatum mortale & ueniale per quo ſunt quinque regulæ.

Si eſt notabiliter contra charitatem Dei & proximi, eſt mortale.

Si eſt contra præcepta Dei, uel eccleſiæ, uel leges humanas factas

ob bonum publicum, erit mortale. ſecus ſi præter.

Si eſt cõtra uota uel cõſtitutiones iuratas uel obligãtes ad mortale.

Si eſt contra conſcientiam dictantem eſſe mortale.

Si adeſt contemptus, uel ponitur finis in creatura, quod cognoſcitur cum quis potius eſt paratus peccare quam relinquere talem creaturã.

Sciat octo circunſtantias peccatorum.

Quis, ideſt conditio & ſtatus peccatoris.

Quid, ideſt genus & ſpecies peccati.

Vbi, ideſt in loco ſacro an prophano.

Quoties, ideſt numerus peccati commiſsi.

Quicum, ideſt an cum cognatis eccleſiaſticis, ſolutis, uiduis, uirginibus, profeſsis, coniugatis.

Cur, ideſt cauſa & finis peccati.

Quomodo, ideſt an per incantationes, ſortilegium, auguria, ſuperſtitiones, breuia, & ſimilia.

Quando, ideſt an in die feſto, an tempore communionis an poſt ſuſceptum ordinem ſacrum, an poſt uotum.

Scire tenetur caſus reſeruatos. pro quibus tria faciat.

Quot annis, petat illos ab Epiſcopo.

Videat bullam in cœna domini, & ædicta inquiſitorum.

Videat ſummiſtas annumerantes omnes cenſuras, præcipue Gaietanum in uerbo excommunicatio.

Nouerit præterea ſecundum communem doctorum ſententiam nullum caſum eſſe reſeruatum Papæ, niſi ratione alicuius cenſuræ annexę. Vbi ergo non eſt cenſura, ibi non erit reſeruatio.

Aduertat inſuper abſoluens a reſeruatis, ut ſeruet formam ſibi traditã a canone, alioquin nõ tenet abſolutio, ſecus ſi eſt cõtra ius tertij.

Scire tenetur communia reſtitutionum. primo radices, quæ ſunt duæ, ſcilicet.

Res aliena, quocunque titulo apud me exiſtens, tamen bona fides facit ut non tenear ad reſtitutionem fructuum cõſumptorum, nec totius rei, ſed ſolum quantum ad me peruenit.

Iniuſtæ cauſa acceptionis. nomine iniuſtæ acceptionis, intellige furtum, rapinam, uſuram, ſimoniam repreſalias, ablata in bello iniuſto, illicitas exactiones, & ſimilia.

Nomine cauſæ, intellige non ſolum principalem, ſed etiam quemcunque,

cunque, ſine quo res aliena non auferretur, tenetur enim ſicut principalis, omnes autem iſti his duobus uerſibus continentur. s.

Decem caſus in quibus quando ſecutum eſt damnum quilibet tenetur reſtituere inſolidum, ſi uerò alii reſtituerint pro parte ſua, tenetur tantum pro reliquo. ſufficit enim ſatisfieri damnificato. unde ſi unus totum reſtituerit, reliqui non tenentur ei inſolidum.

Reſtituat capiens aliena eiusque miniſter.
Iuſsio, conſilium, conſenſus, lausque, comesque.
Qui recipit, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

CAPIENS ALIENA, ideſt qui per ſe exequitur. MINISTER, ideſt qui mandante alio infert. IVSSIO, ideſt iubens qui tenetur quandò ex ſua iuſsione ſequitur damnum, aut ratum habuit, quod eius nomine factum eſt. CONSILIVM, ideſt conſulens efficaciter ita ut damnũ ſequatur, tenetur reſtituere. CONSENSVS, ideſt conſentientes ſine cuius conſenſu non ſequeretur actus, ſecus ſi ſine eo ſecutus fuiſſet. LAVS, ideſt ſi ex laudatione & adulatione tanquam ex cauſa uel cum cauſa ſequitur effectus. COMES, ideſt participans in crimine uel mediator uel ſocius ſine quo damnum nõ fuiſſet ſecutum. QVI RECIPIT, ideſt receptator furum præbens ſecuritatem & cuſtodiam, ſecus ſi non recipit ut furentur. MVTVS, i. qui poteſt & debet loqui reprehendendo, mandando, & ſimilia & non facit. NON OBSTANS, ideſt non impediens actionem iniuſtã quã poteſt & debet impedire, ut iudices. NON MANIFESTANS, ideſt ut teſtes iudiciarii & cuſtodes ſi non manifeſtatio fuit cauſa damni. Nota quod hi tres caſus ultimi, non ſolùm obligãt eos qui poſſunt & debent ex officio, ſed in articulo neceſsitatis omnes qui ſine ſuo dãno & periculo poſſunt impedire ſi aliter iniuſtæ actioni obuiari non poteſt.

Quis, quid, ubi, quantum, cui, quando, quomodo quouc.
Ordine reſtituas ſic cogita ſapiens.

QVIS, ideſt ſupraſcript. QVID, ideſt res aliena ſi habetur, alioquin equiualens cum damnis, quæ ſi non ſunt clara, ſatisfaciat arbitrio boni uiri. VBI, ideſt ubi res habetur dummodo ſit reſtituendum ſolũ propter rem alienam bona fide Poſſeſſam, ſecus eſt propter iniuſtã acceptionem, reſtituendum eſt enim domino, ſumptibus eius qui fuit in mora. QVANTVM, ideſt tantundem quantum eſt ablatum, quod ſi eſt

ſi eſt incertum reſtituat arbitrio boni uiri, qui appropinquet æquali quantum poteſt. C V I, regulariter domino, qui ſi neſcitur, detur Chriſto. Ablatum a malo prælato uel a conſtitutis in aliena poteſtate, reſtituatur eccleſiæ, uel ſuperioribus. quando uero datio & acceptio eſt iniuſta, reſtituatur non danti, ſed ei in cuius iniuriam datum eſt. Si ſola acceptio eſt iniuſta, reſtituatur damnificato. Si prohibetur cauſa tantū & non acceptio, conſulatur ut det pauperibus, Mortuo domino, reſtituatur hæredi: quo non reperto, pauperibus. Q V A N D O, ideſt ſtatim quò ad animum, quò ad realem reſtitutionem, primò tempore opportuno. Tria tamen excuſant a ſtatim reſtituendo. primò uoluntas domini ſic pœnitentis. ſecundò ignorantia iuris uel facti. tertiò impotentia, dummodo ſit uera impotentia. Q V O M O D O, ideſt ſeruando famam reſtituentis, reſtituendo per fide dignum, ſeruando ſtatuta & leges diſponentes de reſtitutionibus. Famam autem falſo ablatam, reſtituat, dicendo, ſe falſum dixiſſe. Q V O O R D I N E, ideſt ſi poteſt omnibus ſatisfacere, nullus eſt ordo. ſi non poteſt, reſtituat prius certa quàm incerta, niſi incerta extarent in ſua ſpecie. Inter certa uerò prius reſtituantur quæ extant in ſua ſpecie. Non extātibus uerò rebus in ſua ſpecie, fiat reſtitutio ſecundum ordinem præſtitutum a iure ciuili legibus & ſtatutis. Cum teneamur ad reſtitutionē ſub pœna peccati mortalis, confeſſor non abſoluat niſi præcedat reſtitutio, præſertim ſi alias promiſit reſtituere.

IN-

in Carmen redactum.

Circa primum præceptum.

Corde uel ore negans errore uel ſchiſmate ductus.
Anceps, blaſphemus, qui tentat qui malè cultor.
Quemque ſuperſtitio grauat, aut cum dæmone pacta
Deſperans, malè confidens mundique timore.
Recta ſinens, propriæ ignorans præcepta ſalutis,
Terrenis hærens nimium ac diuina peroſus.

Circa ſecundum.

Qui uiolat promiſſa Deo, quique aſſerit audax.
Iurando falſa, aut temere, quique improba nouit
Iurauitve, alios nec ad id traxiſſe ueretur.

Circa tertium ſub quo præcepta eccleſiæ.

Quicquam operor uetitum, miſſam, ieiuniaque linquo.
Nec perſoluo preces, uetitis me immiſceo ſacris,
Cum teneor non accedo, loca polluo ſacra.
Sacratas uiolo res, perſonaſque prophano.

Circa quartum.

Non ueneror, non morigeror, non adiuuo patrem
Coniunctoſve pius, foueo aut humanus egenos.
Cui teneor parere, & quem obſeruare recuſo.
Proque bonis ſæpe ingratus, contraria reddo.

Circa quintum ſub quo & octauum complectitur.

Ex odio mortem, uel corporis infero damna.
Quæro inimicitias, pugnas, iniuſtaque bella.
Inuideo, accuſo, falsè, malè, detraho famæ,
Vindictam iratus meditor, conuitia, rixas,
Ad peccata alium induco, me ſponte periclis.
Offero, me cædo impatiens, mortemve peropto.

Circa ſextum ſub quo nonum.

Extra coniugium ueneri qui cedit iniquæ.
Alterius uiolare thorum qui mente paratus,
Qui loquitur laſciua, animo qui turpia uerſat,
Per uiſus, nutus, tactus, malè tendit adulter.
Ad ſcelus inceſtum admittit cum ſanguine iuncta.
Cumque intacta uiro ſtuprum, Chriſtoque dicatam.
Sacrilegus uiolat ſcelera his adiunge nephanda.

Circa ſeptimum cui adiungitur decimum.

Rem cupio alterius, damnum fero, fraude, rapina.
Vſurpo aut teneo, non ſum ſatiabilis, opto.
Per phas, atque nephas ditari uſura maliq́ue,
Contractus, & lucra placent inhoneſta propinqui,
Mentior in damnum: malè ludo, ſumq́ue profuſus.

De Superbia.

Non accepta Deo refero bona uel mea certè.
Ob merita accepiſſe reor, ſæpe arrogo quæ in me,
Non ſunt, aut certè uideo præcellere cunctis.
Ambitione tumens, uerum impugnare paratus.
Atque obſtinatus proprium defendere ſenſum.
Nec ſolitus proprias ulla in re agnoſcere culpas,
Iudico, contemno, derideo, resq́ue, hominesq́ue.
Scire uolo, & facere aggredior ſuperantia uires,
Peccandi aut timeo fretus uirtute pericla.

De Accidia.

Non bene ago, ſed & acta dolent, me, aduerſa repente.
Deijciunt, & dona Dei mihi tradita temno.
Virtutisq́ue labor grauis eſt magis otia pigrum
Delectant, refugit mens, ardua: ſæpe uagatur,
Spirituale donum tædet curare, remiſſus,
Ad bona quæ teneor: diuina exhorreo iuſſa.

De Gula.

Sollicitus paro lauticias, & tempus edendi
Præuenio, uetitis, crebro, cupideq́ue, nimisq́ue.
Delector: uentri demum omnem deffero cultum.

Alia uitia capitalia, uirtutes Theologices & Cardinales
& opera miſericordiæ, continentur in prædictis.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

VIS NOMINIS, ATQVE Sacramenti ratio.

CVM naturali inſtinctu homines agnoſcerent Deum colendum eſſe: conſequens erat, ut in quauis Republ. aliqui Sacrorum & diuini cultus procurationi præficerentur, quorum poteſtas, aliquo modo ſpiritualis diceretur. Atque hæc quidem poteſtas in lege Euangelica.

EST cœleſtis, omnemq; Angelorum etiam uirtutem ſuperat, neque a Sacerdotio Moſaico, ſed a Chriſto Domino, qui non ſecundùm Aaron ſacerdos fuit, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, ortum habet. Is enim, qui ſumma poteſtate gratiam tribuendi, & peccata remittendi præditus fuit, hanc poteſtatem, quamuis uirtute definitam, & Sacramentis adſtrictam, Eccleſiæ ſuæ reliquit. quare ad eam exercendam certi miniſtri inſtituti ſunt, & ſolenni religione conſecrati, quæ quidem conſecratio, Ordinis Sacramentum, uel ſacra ordinatio uocatur.

Quid ſignificet. Eſt enim ordo, ſi propriam eius uim & notionem accipiamus, diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptæ ſunt, ut una ad alteram referatur. Cùm itaque in hoc miniſterio multi ſint gradus, & uariæ functiones, omnia uerò certa ratione diſtributa ſint & collocata, rectè & commodè ordinis nomen ei impoſitum uidetur.

Diuiditur in poteſtatem.

Ordinis, quæ ad uerum Chriſti Domini corpus in ſacroſancta Euchariſtia refertur. De quo hoc loco, quæruntur duo:

Num inter cætera Eccleſiæ Sacramenta, ſacra ordinatio numeranda ſit. Et quidem habere eam propriam Sacramenti rationē, probatur

Authoritate Sacræ ſcripturæ: ex uerbis Chriſti, Ioan. 20. Matth. 18. Sicut miſit me Pater, & ego mitto uos: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Pauli 2. ad Tim. 1. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.

Concilij Tridentini.

Ratione: Nam cùm Sacramētum ſit rei ſacræ ſignum,id uerò,quod hac conſecratione extrinſecus fit,gratiam, & poteſtatem ſignificet, & quæ illi tribuitur,qui conſecratur:omnino ſequi perſpicuum eſt, Ordinem uerè ac propriè Sacramentum dicendum eſſe.

Quare Epiſcopus ei,qui ſacerdos ordinatur,inquit; Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.Quibus uerbis perdocuit Eccleſia,poteſtatem conſecrandæ Euchariſtiæ charactere animo impreſſo tradi, cui gratia adiuncta ſit, ad illud munus ritè & legitimè obeundum.

Iuriſdictionis,quæ tota in Chriſti corpore myſtico uerſatur.ad eam enim ſpectat,Chriſtianum populum gubernare & moderari, & ad æternam cœleſtemque beatitudinem dirigere.

Ordines incipiendi ſunt a prima tonſura.

Quæ eſt præparatio quædam,ad ordines accipiendos. Vt enim homines ad baptiſmum exorciſmis; ad matrimonium ſponſalibus præparari ſolent:ita cùm,tonſo capillo, Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur.

Quem tondendi morem Primum omnium Apoſtolorum Principē introduxiſſe ferunt. Deinde etiam meminerunt eius uetuſtiſsimi & grauiſsimi Patres, Dionyſius Areopagita, Hieronymus, Auguſtinus.

Et fit in capite, ad Similitudinem coronæ,& hoc,uel ad Memoriā coronæ,quæ ſpinis contexta,Saluatoris noſtri capiti fuit impoſita.

Declarandam regiam dignitatem, quæ ijs maximè, qui in ſortem Domini uocati ſunt,conuenire uidetur.

Figuram circuli, quæ omnium perfectiſsima eſt, ad ſignificandam uel perfectioris uitæ profeſsionem a clericis ſuſceptam, uel externarū rerum contemptionem,animiq; ab omnibus humanis curis uacuitatē.

Porrò qui ſic tondentur,Clerici dicuntur:quod nomen illis tunc primùm imponitur,& ab eo deductum eſt,quòd Dominum,ſortem & hęreditatem ſuam habere incipiant.

Ordines minores quatuor diſtinguuntur gradibus.

Nam poſt primam tonſuram, ad Oſtiarij ordinem, primus gradus fieri conſueuit.eius munus eſt, Templi claues & ianuam cuſtodire,& aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat.

Ad ſanctum etiam Miſſæ ſacrificium aſsiſtebat, curaturus ne quis propius, quàm par eſſet, ad ſacram aram accederet, & ſacerdotem rē diuinam facientem interpellaret.

Secundus ordinis gradus eſt Lectoris munus. Ad quem pertinet

In Eccleſia, ueteris & noui teſtamenti libros, clara uoce & diſtincta recitare.

Prima Religionis Chriſtianæ rudimenta fidelibus tradere.

Tertius eſt ordo Exorciſtarum, quibus poteſtas data eſt, nomē Domini inuocandi in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur.

Acolytorum quartus eſt gradus. Eorum munus eſt, Miniſtros maiores, Subdiaconos & Diaconos, in altaris miniſterio aſſectari, eisque operam dare.

Præterea lumina deferunt, cùm Miſſæ ſacrificium celebratur, præcipuè uerò cum Euangelium legitur, ex quo & Ceroſerarii alio nomine uocati ſunt.

Ordines maiores & ſacri, tribus diſtinguuntur gradibus:

IN eorum primo gradu, ſubdiaconus collocatur: cuius munus eſt, Diacono ad altare inſeruire. Sacra enim lintea, uaſa, panem, & uinum ad ſacrificii uſum neceſſaria, parare debet.

Nunc Epiſcopo & Sacerdoti aquam præbet, cùm manus in Miſſæ ſacrificio abluunt.

Epiſtolam etiam, quę olim a Diacono in Miſſa recitabatur, Subdiaconus legit, ac tanquam teſtis ad ſacrum aſsiſtit, prohibetq;, nè ſacerdos ſacra faciens a quopiam perturbari poſsit.

Secundum gradum Diaconus obtinet: cuius miniſterium latius patet, ſanctiusq; ſemper habitum eſt. Ad eum enim pertinet, Epiſcopum perpetuò ſequi, concionantem cuſtodire, eiq; & ſacerdoti ſacra facienti, uel alia Sacramenta adminiſtranti, præſtò eſſe, & in Miſſæ Sacrificio Euangelium legere.

Perueſtigare, quinam in urbe piè & religioſè, quive ſecus in uitam traducant &c.

Licet ei pręterea, ſi abſit Epiſcopus & Sacerdos, Euangelium explanare, non tamen è ſuperiori loco. ut intelligatur, hoc eius proprium munus non eſſe.

Tertius, omniumq; Sacrorum ordinum ſummus gradus eſt, Sacerdotium. Qui uerò illo pręditi ſunt, eos ueteres Patres appellāt interdū Presbyteros, quod Grecè ſeniores ſignificat: Non ſolùm propter ætatis maturitatem, quę huic ordini maximè neceſſaria eſt.

Sed multo magis, propter morum grauitatem, doctrinam, & prudentiam.

Sacerdotes, Tum quia Deo conſecrati ſunt:

Tum quia ad eos pertinet, Sacramenta adminiſtrare, ſacrasque res & diuinas tractare.

HVIVS igitur tanti officij, puta ſacerdotij, onus, nemini temerè imponendum eſt; ſed ijs tantùm, qui illud uitæ ſanctitate, doctrina, fide, prudentia ſuſtinere poſſint. Nec uerò quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui uocatur à Deo tanquam Aaron. Vocari autem à Deo dicũtur, qui à legitimis Eccleſiæ miniſtris uocantur. Sunt autem in ſacris ſuſcipiendis Ordinibus, hæc animaduertenda:

Ordinandorum qualitas.

Quanta circunſpectione ad Sacros ordines ſit accedendum.

Eſt enim cauendum diligenter

Ne eo conſilio ad hanc uiuendi rationem ſe conuertant, Vt quæ ad uictum ueſtitumq; neceſſaria ſunt, parent, ita ut præter quæſtum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum uulgo cæteri omnes, in quouis ſordidi artificij genere, ſpectare uideantur.

Vt honores & dignitates obtineant.

Vel ut diuitijs affluant, quales ſunt, qui, niſi opulentum aliquod eccleſiaſticum beneficium, ijs deferatur, nullam ſacri ordinis cogitationem habent. Hi uerò ſunt, quos Saluator noſter mercenarios appellat, & quos Ezechiel dicebat, ſemetipſos, & non oues, paſcere. Ezech. 34.

Sed hoc ſibi proponant opus eſt, ut non ſolùm Dei gloriam in omnibus rebus quærant (quod quidem cùm omnibus, tum maximè fidelibus commune eſſe conſtat) ſed etiam, ut alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti, in ſanctitate & iuſtitia illi ſeruiant.

Quæ in Sacerdote potiſsimùm requirantur.

Primum itaque in eo, qui Sacerdos creandus eſt, uitæ & morum integritas requiritur. Quare ſanctam illam conſuetudinem in Eccleſia ſeruari animaduertimus, ut qui ſacris initiandi ſunt, prius pœnitentiæ Sacramento, conſcientiam purgare diligenter ſtudeant.

Præterea in ſacerdote, non ſolùm ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum & tractationem pertinet: ſed etiam ſacrarũ literarum ſcientia, ita inſtructum eſſe oportet, ut populo, Chriſtianæ fidei myſteria & diuinæ legis præcepta tradere, ad uirtutem & pietatẽ incitare, & a uitiis reuocare fideles poſsit.

Qui ab hoc officio excludantur.

Pueris enim, & furioſis, uel amentibus, quòd uſu rationis careant, hoc Sacramentum dandum non eſt. Aetatem autem legitimam, ex ſacri Concilii Tridentini Decretis licet cognoſcere.

Excipiuntur etiam ſerui: neque enim diuino cultui dedicari debet, qui non ſui iuris, ſed in alterius poteſtate eſt.

Viri præterea ſanguinum & homicidæ, quia Eccleſiaſtica lege repelluntur,

luntur,atque irregulares ſunt.

Spurii quoq;,& ii omnes,qui ex legitimis nuptiis non ſunt procrea ti:decet enim,ut qui ſacris addicuntur,nihil in ſe habeant, quo ab aliis meritò contemni ac deſpici poſſe uideantur.

Ad extremum etiam admitti non debent,qui aliquo inſigni corporis uitio deformes,aut mutili ſunt.ea enim fœditas & debilitatio, tum offenſionem habet, tum uerò Sacramentorum adminiſtrationem impediat neceſſe eſt.

Sacerdotium.

Duplex in ſacris literis deſcribitur.

Internum, quo omnes fideles, poſtquam aqua ſalutari abluti ſunt, ſacerdotes dicuntur,præcipuè uerò iuſti, qui Spiritum Dei habent, & diuinæ gratiæ beneficio, Ieſu Chriſti ſummi Sacerdotis uiua membra effecti ſunt. hi enim fide, quæ charitate inſlammatur, in altari mentis ſuæ,ſpirituales Deo hoſtias immolant.Quo in genere, bonæ omnes & honeſtæ actiones,quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt. Apoc.1. 1.Pet.2. Rom.12.

Externum uerò,non omnium fidelium multitudini,ſed certis hominibus conuenit,qui legitima manuum impoſitione, ſolennibusq; ſanctæ Eccleſiæ cœremoniis inſtituti,& Deo conſecrati, ad aliquod proprium ſacrumq; miniſterium aſcribuntur.Et hoc tantummodo Sacerdotium, ad Ordinis Sacramentum pertinet, de quo plura in ſequenti habes.

Sacerdotij externi:

Munera ſunt duo,quo ad Sacerdotem attinet. Quorum alterũ eſt, ut ſacramenta ritè conficiat,& adminiſtret.

Alterum,ut populum fidei ſuæ commiſſum, iis rebus & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt,erudiat.

Gradus ſunt dignitatis & poteſtatis varii:

Quorum Primus eſt eorum,qui Sacerdotes ſimpliciter uocantur: quorum functiones hactenus declaratæ ſunt.

Secundus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopatibus præpoſiti ſunt: ut non ſolùm cæteros Eccleſiæ miniſtros: ſed fidelem populum regant,& eorum ſaluti,ſumma cũ vigilantia & cura proſpiciãt. Quare in ſacris literis Paſtores ouium ſæpe appellantur,ſed & Pontifices dicuntur,accepto ab ethnicis nomine,qui Principes ſacerdotum, Pontifices,appellare conſueuerunt.

Tertius gradus eſt Archiepiſcoporum,qui pluribus Epiſcopis præſunt

ſunt, qui Metropolitani etiam uocantur, quòd illarum urbium antiſtites ſint,quæ tanquam matres habeantur illius Prouinciæ.

In quarto gradu Patriarchę collocantur,ideſt, Primi ſupremiq; Patres. Atque olim in uniuerſa Eccleſia,prętcr ſummum Romanum Pontificem,quatuor tantū Patriarchę numerabātur, Videlicet Conſtantinopolitanus, etſi ad eum poſt omnes alios hic honos delatus eſt, tamen ob Imperij Maieſtatem,altiorem locum obtinuit.

Proximus eſt Alexandrinus, cuius Eccleſiam Marcus Euangeliſta, iuſſu Principis Apoſtolorum fundauit.

Tertius Antiochenus,ubi Petrus ſedem primo locauit.

Extremum gradum habet Ieroſolymitanus: quam Eccleſiam Iacobus frater Domini erexit.

Præter hos omnes,Catholica Eccleſia Romanum Pontificem Max. quem in Epheſina Synodo Cyrillus Alexandrinus,Archiepiſcopum totius orbis terrarum,Patrem & Patriarcham appellat,ſemper uenerata eſt.Qui Pius Pater ac Moderator,uniuerſali Eccleſiæ, ut Petri ſucceſſor,Chriſtiq; Domini uerus & legitimus Vicarius, præſidet,

Miniſter & ut reliquorum ordinum,eſt Epiſcopus. Nam Quamuis nonnullis Abbatibus permiſſum ſit, ut minores & non ſacros ordines interdum adminiſtrent:

Tamen hoc proprium Epiſcopi munus eſſe,nemo dubitat, Etenim Subdiaconos,Diaconos,& Sacerdotes,unus tantū Epiſcopus ordinat.

Epiſcopi,ex Apoſtolorum traditione, quæ perpetuò in Eccleſia cuſtodita eſt,a tribus Epiſcopis conſecrantur.

Præterea verò obſeruandæ ſunt etiam quædam, quæ huc pertinent.

Plurimum Sacramenti iſtius explicatio profutura eſt.

Primum ipſis Paſtoribus,quòd dum in huius argumenti tractatione uerſantur,ad eam gratiam excitandam, quàm hoc Sacramento adepti ſunt, magis commouentur.

Deinde aliis Eccleſiaſticis qui in ſortem Domini uocati ſunt, partim ut Eodem pietatis ſtudio afficiantur: Earum rerum cognitionē percipiant, quibus inſtructi, uiam ſibi ad ulteriores gradus facilè munire poſsint.

Poſtremò etiam reliquis fidelibus, ut quo honore digni ſint Eccleſiæ miniſtri, intelligant

In uniuerſum omnes: Illi maximè, qui Sua ſponte & uoluntate, illud uitæ genus ſequi uelint. Liberos ſuos adhuc infantes, Eccleſiæ miniſterio ſpe deſtinarint.

Sacerdotij

Sacerdotij nobilitas & excellentia. Nam cùm Epiſcopi Sacerdotes, tanquam Dei interpretes & internuncij quidam ſint, qui eius nomine diuinam legem & uitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei perſonam in terris gerunt: perſpicuum eſt, eam illorum eſſe functionẽ, qua nulla maior excogitari poſsit. Quare meritò nõ ſolùm Angeli, ſed Dij etiam, quòd Dei immortalis uim & numen apud nos teneant, appellantur. Quamuis autem omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint, tamen noui teſtamenti ſacerdotes, cæteris omnibus honore longè antecellunt. Poteſtas enim tum corpus & ſanguinem Domini noſtri conficiendi & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata eſt, humanam quoque rationem atque intelligentiam ſuperat: nedùm ei aliquid par aut ſimile in terris inueniri queat.

Sacramenti huius effectus. Quamuis enim ordinis Sacramentum, maximè ad Eccleſiæ utilitatem & pulchritudinem ſpectet, tamen In eius quoque anima, qui ſacris initiatur, ſanctificationis gratiam efficit.

Deinde aliam quoq; gratiam hoc Sacramento tribui perſpicuum eſt præcipuam uidelicet poteſtatem, quæ ad ſacratiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur.

Atque hæc etiam character ſpiritualis dicitur: quòd qui ſacris imbuti ſunt, interiori quadam nota animæ impreſſa, ab aliis fidelibus diſtinguantur, ac diuino cultui mancipentur.

REGVLA.

QVemadmodum Saluator noſter a Patre, Apoſtoli autem ac diſcipuli in uniuerſum mundum a Chriſto Domino miſsi ſunt: ita quotidie ſacerdotes, eadem, qua illi poteſtate præditi, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti mittuntur.

ALIA REGVLA.

QVi uerò in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inſerunt, atque intrudunt de his Dominum intellexiſſe, docendum eſt, cùm inquit: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: Quo quidem hominum genere, nihil infelicius ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VN-CTIONIS.

NATVRA EXTREMAE Vnctionis.

HOC Sacramentum idcirco extrema Vnctio appellatum eſt,quod hæc omnium ſacrarum unctionũ, quas Dominus Saluator noſter Eccleſiæ ſuæ commendauit,ultima adminiſtranda ſit. Quare hæc ipſa unctio a Maioribus noſtris, Sacramentum etiam Vnctionis infirmorum,& Sacramentum exeuntium dicta eſt.

Quòd autem extremæ Vnctioni propria Sacramenti ratio conueniat, probatur

Verbis D.Iacobi Apoſtoli,iniquientis,Infirmatur quis in uobis?inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:&.oratio fidei ſaluabit infirmum:& alleuiabit eum Dominus:& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Nam quòd condonari peccata Apoſtolus affirmat,in eo declarat Sacramenti uim & naturam,Iacob.5.

Authoritate Conciliorum,cùm aliorum plurium,tum Tridentini, quod hanc Catholicæ Eccleſiæ de extrema unctione doctrinam fuiſſe perpetuam ita declarat, ut in eos omnes anathematis pœnam conſtituerit,qui aliter docere aut ſentire audeant.

Teſtimonijs. Innocentij,Dionyſij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Gregorij Magni.

Etſi uerò ex pluribus rebus & uerbis conſtituitur,eſt tamen unum,

Non quidem partium continuatione, quæ diuidi non poſsint:

Sed perfectione,cuiuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant.

Vnum inquam, ſignum eſt,& unius rei,quam ſignificat, efficientiã habet.

Quatuor præcipuè ad extremam unctionem requiruntur.

Author eſt Deus.cùm enim demonſtratum ſit, extremam Vnctionem,

nem, uerè & propriè in Sacramentorum numero habendam eſſe: illud etiam ſequitur, eius inſtitutionem a Chriſto Domino profectam eſſe, quæ poſtea a Sancto Iacobo Apoſtolo fidelibus propoſita, & promulgata eſt.

Miniſter, Sacerdos ritè ordinatus: Non tamen quiuis,

Sed Proprius Paſtor, qui habeat iuriſdictionem:

Vel alius, cui ille eius muneris fungendi poteſtatem tradiderit.

Materia, eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum, liquor ſcilicet, non ex quauis pingui & craſſa materia, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus. Aptiſsimè autem hæc materia illud ſignificat, quod ui Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit: ita Sacramenti uirtus, animæ triſtitiam ac dolorem minuit.

Forma uerò Sacramenti eſt uerbum, & ſolennis illa precatio, quam Sacerdos ad ſingulas actiones adhibet, cùm inquit: Per iſtam ſanctàm unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculornm, ſiue narium, ſiue tactus uitio deliquiſti.

Adhibetur quidem hoc Sacramentum, ut præter ſpiritualem gratiã, quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægrotis. tamen quia non ſemper ſequitur, ut ægri a morbis conualeſcant, ob eam cauſam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti uis conſtanti & perpetuo ordine ex ea parte efficere non ſolet.

Atque hinc fit, ut cùm Aliorum Sacramentorum forma uel Abſolutè ſignificet, quod efficit, ut cùm dicimus, Baptizo te, aut, Signo te &c. Tanquam ab imperantibus pronuncietur. ut, Accipite poteſtatem &c.

Hæc una Extremæ Vnctionis forma, precatione quadã abſoluatur.

Cæremoniæ & ritus.

ADHIBENTVR in huius quoque Sacramenti adminiſtratione proprij quidam ritus, qui continent

Precationes, quibus ſacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam utitur. Nullum enim eſt aliud Sacramentum, quod pluribus precibus cõficiatur: ac rectè quidem, quoniam eo potiſsimum tempore, fideles piis obſecrationibus adiuuandi ſunt.

Obſeruationem, ſiue rationem habendam Perſonarum. Quamuis enim hoc ſacramentum ad omnes pertineat, quædam tamẽ hominum genera excipiuntur, quibus adminiſtrandum non eſt.

Ac primum excipiũtur, qui ſano & firmo corpore ſunt: iis enim ex-

tremam unctionem tribuēdam non eſſe Et Apoſtolus docet, cùm inquit. Infirmatur quis in uobis? Iacob.5.

Et ratio oſtendit, ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modò ut animæ, ſed etiam ut corpori medicinam afferat.

Omnes præterea, qui rationis uſu carent, ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt.

Et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare huius Sacramenti remedio opus ſit.

Amentes item & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſsimùm tempore, pii animi ſignificationem darent, peterentq́; ut ſacro oleo ungerentur.

Partium corporis. non enim totum corpus, neque omnes corporis partes ungēdæ ſunt, ſed ea tantùm membra, in quibus potiſsimùm ſentiendi uis eminet, puta: Oculi, Aures, Nares, Os, Manus, Renes, Pedes, Propter Viſionem, Auditum, Odoratum, uel Guſtum. Sermonem, Tactum, Libidinem, Ingreſſum.

Temporis. Nam hæc unctio tunc eſt adhibenda, Cum graui morbo affligamur, ac uitæ periculum imminet. Semel tantùm in una eademque ægrotatione: Sed quoties poſtea quiſpiā in aliud uitæ diſcrimen inciderit, toties eiuſdem ſacramenti ſubſidiū ei poterit adhiberi.

Ex quo patet, in eorum ſacramentorum numero, quæ iterari ſolent, reponendam eſſe hanc unctionem.

Præparatio ad ſuſcipiendam ſacram unctionem: ubi iſthæc curanda ſunt:

Primum, quoniam nihil magis huius ſacramenti gratiam impedit, quàm alicuius peccati mortiferi conſcientia, ſeruanda eſt Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante extremam unctionem, pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur.

Deinde ægroto perſuadendum eſt, ut ea fide ſe ungendum ſacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſeipſos offerre conſueuerant.

In primis autem animæ ſalus, deinde corporis ualetudo, cum illa adiunctione, ſi ea ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt.

Nec uerò dubitare fideles debent, quin ſanctæ illæ & ſolennes preces, a Deo audiantur, quibus ſacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ & Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam gerens, utitur.

Effectus, ſeu fructus.

Explicandæ etiam ſunt utilitates, quas ex hoc ſacramento capimus, quarum

quarum Vna eſt,hoc Sacramento gratiā tribui,quæ peccata,& imprimis quidem leuiora, & ut communi nomine appellantur uenialia remittit: exitiales enim culpæ, pœnitentiæ ſacramento tolluntur.

Altera eſt ſacrę Vnctionis utilitas, quòd animam a languore & infirmitate,quam ex peccatis contraxit,& a cęteris omnibus peccati reliquiis liberat,eamq́ue pio & ſancto gaudio replet.

Prętereà fidelibus arma & uires hoc ſacramento ſubminiſtrantur, quibus aduerſarii uim & impetum frangere, & illi fortiter repugnare poſsint.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MATRIMONIVM QVID SIT.

MATRIMONIVM eſt inter legitimas perſonas uiri, & mulieris maritalis coniunctio, indiuiduam uitę conſuetudinem retinens.

Cur inter legitimas perſonas?

Quoniam qui a nuptiarũ coniunctione legibus omnino excluſi ſunt, ii matrimonium inire non poſſunt, neque ſi ineant, reatum eſt. Exempli gratia, qui intra quartum gradum propinquitate coniuncti ſunt, puerq; ante decimumquartum annum, aut puella ante duodecimum, quę ętas legibus conſtituta eſt, ad matrimonij iuſta fœdera ineunda apti eſſe non poſſunt.

Quid Maritalis coniunctio?

Quia alia pactionum genera, quibus uiri & mulieres obligantur, ut ſibi mutuam operam pręſtent, uel prętii, uel alterius rei cauſa, prorſus aliena ſunt a matrimonii ratione.

Cur indiuiduam uitæ conſuetudinem retinens?

Indiſſolubilis uinculi natura declaratur, quo uir & uxor colligãtur. Ex quo patet, matrimonij naturam & rationem in uinculo illo conſiſtere. Quamuis enim in perfecto inſint conſenſus uidelicet interior uerbis de pręſenti expreſſus (nam quę futurum tempus indicant, Matrimonium non coniungunt, ſed ſpondent) pactio externa, obligatio, & uinculum quod ex ea pactione efficitur, & coniugum copulatio qua matrimonium conſummatur, nihil horum tamen ſciendum eſt, matrimonii uim & rationem propriè habere, niſi obligationem illam & nexum. Cum autem dicitur Coniugium eſſe conſenſum maris & fœminę; Hoc ita accipiendum eſt, Conſenſum ipſum matrimonii cauſam effectricem eſſe. Etenim obligatio & nexus oriri non poteſt, niſi ex conſenſu, & pactione.

Matrimonij ſignificatio.

Matrimonium ab eo dicitur, quod fœmina idcirco maximè nubere debeat, ut mater fiat; uel quia prolem concipere, parere, educare matris munus eſt.

Coniu-

Coniugium, A coniungendo appellatur quod legitima mulier cũ uiro quaſi uno iugo adſtringantur.

Nuptię Quia pudoris gratia puellę ſe obnuberent,ſeu uelarẽt; quo etiam declarari uidebatur uiris obedientes ſubiectasq; eſſe oportere.

Quomodo differunt ſponſalia & Matrimonium vel Nuptiæ.

Sponſalia enim ſunt futurarum nuptiarum promiſsio, cũ hi qui con trahunt mutuo ſeſe conſenſu copulant & coniungunt.

Matrimonium uerò uel nuptię quando coram teſtibus, & facie ecclesię per mutuum conſenſum de pręſenti uerbis expreſſum, uel uerborum loco nutu & ſignis, quæ intimum conſenſum apertè indicent ſolenniter celebratur.

Animaduertens quòd qui aliter, quam pręſente Parocho, uel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu ordinarii licentia, & duobus uel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus Trid. ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit.

Sponſalia quoque quamuis ſint iurata per mutuum cõſenſum ſpon ſorum, pluribusq; modis diſſoluuntur, quibus matrimonii contractus dirimi, neque diſſolui poteſt.

Quoniam Ius connubii in eam mulierem nondum quiſquã habet quam ſe in matrimonium ducturum eſſe pollicetur, neq; ſtatim ab eo impletum eſt, quod ſe facturum promiſit tametſi fidem pręſtare debet; quod ſi non faciat, uiolatę fidei reus eſſe conuincitur. Qui uerò matri monii fœdere alteri iungitur, quamuis poſtea pœniteat, tamen quod factum eſt, mutare, irritumve & infectũ reddere non poteſt, & ſi nondum ſit conſumatum, nam ut uerum matrimonium exiſtat, cõcubitus neceſſario non requiritur, quod a Sanctis Patribus dictum eſt, matrimonium non concubitu, ſed conſenſu exiſtere, ut etiam a ſancto Ambroſio repetitum legitur.

Tempus ad ſponſalia poſt ſeptennium rationabiliter a iure inſtitutum eſt, uel ſi parum diſtat, nam quod parum deeſt, nihil deeſſe uidetur. Ad matrimonium uerò, maſculus ante quartumdecimum, & fœmina ante duodecimum annum contrahere prohibentur.

Quis poteſt contrahere ſponſalia, & ad quid tenetur.

Quilibet ualens contrahere matrimonium, poteſt ſponſalia contrahere, & per ſe, & per nuntiũ, & per quemlibet, dummodo ambo ratifi-

contrahere ſponſalia, poteſt matrimonium contrahere, ut dictum eſt de tempore. Parentibus autem pro ipſis filiis contrahentibus, præſentibus tamen, & non contradicentibus, lex pro matrimonio iudicat, quod non eſt ſimile de aliis contrahentibus qui non ſunt parẽtes, niſi expreſſè conſenſerint, ſi uerò filii non conſenſerint, neque parentes poſſunt cogere filios ad matrimonium.

Verum Qui ſponſalia contraxit tenetur ſub peccato mortali contrahere matrimonium, nam promiſſum ſoluere tenetur, niſi legitimum interueniat impedimentum, utpote per religionis ingreſſum, & per ſacrorum ordinum ſuſceptionem, quod etiam poſt matrimonium ratum ſed non conſummatum fieri poteſt, etiam altero coniuge reclamante, & facta profeſsione; alter qui remanet coniux in ſeculo ad ſecũdas poteſt tranſire nuptias, Copula autem carnalis ſuperueniens ſponſalibus de futuro, quamuis in foro conſcientiæ non interueniente conſenſu, non ſit matrimonium, in foro contentioſo efficiebat, & erat matrimonium, ante Concilium Tridentinum. nullum enim ſignum eſt, quod magis exprimat conſenſum, quam copula: uerum poſt Concilium Tridentinum etiam in foro contentioſo non efficit matrimonium.

Ideo Non ſolùm matrimonium, ſed & ſponſalia de futuro publicè debent contrahi, quia ſponſalia in multis caſibus tranſibant ipſo facto in matrimonium, Interdictaque ſunt ab eccleſia matrimonia clandeſtina, ne adoleſcentes & puellæ, cui ætati ineſt maxima imbecillitas conſilii, falſo nuptiarum nomine decepti, incautè ineant turpium amorum fœdera; eaque clandeſtina matrimonia, neque uera, neque rata eſſe ſancta Tridentina Synodus decreuit.

A quo inſtitutum fuit Matrimonium, & quando.

Cum omnia quidem ſacramenta propter peccatum cœperint, ſolum matrimonium eſt inſtitutum ante peccatum, Deus enim author eſt, & matrimonii inſtitutor, quãdo mulierem creauit in adiutorium uiri, ut creſceret, & dilataretur genus humanũ dicens; Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Poſtea uerò dominus noſter Ieſus Chriſtus in Chana Galilææ nuptias non corporali tantum præſentia, ſed & miraculi exhibitione confirmare, cohoneſtare, & approbare uoluit.

Duplex Matrimonij inſtitutio.

Prima ad officium, ut natura, & genus humanum multiplicaretur facta in paradiſo ubi thorus immaculatus eſſet, & nuptiæ honorabiles, ex quibus ſine dolore conciperent, & ſine dolore parerent.

Altera non ad officium tantum, ſed etiam ad remedium facta extra paradiſum propter illicitum, fornicationis motum deuitandum, & ut

& ut uitium cohiberetur,& natura multiplicaretur.

Tribus de cauſis fieri debet.

Prima ut alter alterius ope adiutus uitæ incommoda facilius ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Altera propter procreationis appetitum non tam quidem ob eam rem,ut bonorum & diuitiarum hæredes relinquantur, quam ut ueræ fidei & religionis cultores educentur.

Tertia ut qui imbecillitatis ſuæ conſcius ſibi eſt,nec carnis pugnam ferre uult,ad uitanda peccata libidinis matrimonii remedio utatur.

Quod matrimonium ſit ſacramentum, & gratiam tribuat.

Teſte diuo Paulo. Sacramentum hoc magnum eſt,ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Et in Concilio Florentino ſub Eugenio quarto,ſic determinatur.

Si quis autem dixerit matrimonium non eſſe uerè & propriè unum ex ſeptem ſacramentis legis Euangelicæ a Chriſto Domino inſtitutũ, ſed ab hominibus in Eccleſiam inuectum, neq; gratiam conferre anathema ſit in Conc.Trid.Seſſ.24.Can.1.

Materia vel elementum huius Sacramenti.

Sacramenti matrimonij materia, ſunt perſonæ legitimæ, quæ contrahere poſſunt,ne in ipſis ſit aliquod impedimentum, uel contrahentium mutuus conſenſus.

Forma.

Forma eſt,uerba contrahentium, quibus eorum mutuus conſenſus, & mutua coniugalis fidei promiſsio exprimitur,ut accipio te in meam legitimam uxorem,& a ſponſa reſpondetur, accipio te in meum legitimum maritum,uel uerba ſimilia a ſacerdote uel ab aliquo prolata ipſis contrahentibus conſentientibus. Vel uerba quæ primo proferuntur ſunt materia,& qua proferuntur ultimo ſunt forma,quia perficiunt ſacramentum.

Virtus ſeu effectus matrimonij.

Eſt coniugalis uinculi indiſſolubilitas,inſtar coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ,qua Deus interna operatione ...

prioris uinculum matrimonij diſſoluatur alterius morte; fœdus enim illud initum nuptiale, cuiuſdam ſacramenti res eſt, ut nec ipſa ſeparatione irritum fiat.

Tria Matrimonij bona.

Primum eſt proles hoc eſt liberi, qui ex iuſta, & legitima ſuſcipiuntur uxore, quia cauſa educẽdę ſobolis inſtitutũ eſt pcipuè matrimoniũ.

Alterum eſt fides, non ille uirtutis habitus, quo imbuimur cum baptiſmum percipimus, ſed fidelitas quædam, qua mutuo uir uxori, uxor uiro ita ſe obſtringit, ut alter alteri ſui corporis poteſtatem tradit, ſanctumq; illud fœdus coniugii nunquam ſe uiolaturum pollicetur.

Tertium eſt ſacramentum, uinculum.ſ. matrimonii indiſſolubile, ne uel maritus ab vxore, vel vxor a marito diſcedat alterutro ſuperſtite.

Pluralitas uxorum illicita.

Nec viro plures uxores ducere, neq; mulieri plures viros hr̃e licet.

Honorabile igitur coniugium in omnibus, & thorus immaculatus, Sed honorabilior & beatior eſt Virginitas, ſi tamen mente, & corpore ſeruetur. Et caſta Viduitas, ſeu cœlibatus, a ſoluto primo matrimonio beatior, quam ſecundæ nuptiæ.

Officia coniugum

Viri Vxorem liberaliter & honorificè tractare.

Alicuius honeſtæ rei ſtudio ſemper occupatũ eſſe. Tum ut ea ſuppeditet, quæ ad familiam ſuſtentandam neceſſaria ſunt.

Tum ne inerti otio langueſcat, a quo uitio ferè omnia fluxerunt.

Familiam rectè conſtituere, Omnium mores corrigere,

Singulos in officio continere,

Vxoris ſubditam eſſe uiro ſuo. Filios in religionis cultu educare. Domeſticas res diligenter curare. Domi ſe libenter continere, niſi neceſsitas exire cogat, idq; ſine uiri permiſſu nunquam facere audeat.

Meminiſſe ſemper ſecundum Deum, neminem magis quam uirum diligendum, eo ve neminem eſſe pluris faciendum, cui etiam in omnibus rebus, quæ Chriſtianæ pietati non aduerſantur, morem gerere, & obtemperare oporteat ſumma cum alacritate animi.

De uſu Matrimonij Duo.

Primum quidem eſt, non uoluptatis, aut libidinis cauſa matrimonio operam dandam eſſe, ſed eo utendum intra illos fines, qui a Domino præſcripti ſunt, iuxta præceptum Apoſtoli, Qui habent uxores tãquam non habentes ſint.

Alterum eſt, ut Deum orandi, & obſecrandi cauſa, a matrimonii officio interdũ abſtineant ut non modo hanc uitam piè & placidè traducant, ſed etiam æternæ uitæ Dei benignitate conſequendæ, uera & ſtabili ſpe quæ non confundit nitantur.

IMPEDIMENTA MATRIMO- nium dirimentia.

Impedimentum primum eſt error,ſcilicet perſonæ, ut ſi quis putát contrahere cum Martha, & contrahit cum Eugenia, qui error conſenſum impedit qui eſt de eſſentia matrimonii & ipſius cauſa,nam errantis conſenſus nullus eſt,& ſic error nobilitatis aut dignitatis;matrimonium dirimit, ſi redundat in errorem perſonæ, ut ſi mulier directè conſentire intendat in filium principis quicunq; ſit ille, & non in alium,& alius ei tanquam principis filius præſentetur,eſt error perſonæ, & matrimonium dirimit: ſi uerò directè in perſonã oblatã cõſenſus feratur, tunc qualitatis aut diuitiarum, & Nobilitatis aut dignitatis error matrimonium non uitiat neque dirimit. *Error*

Conditionis impedimentum quando quis liber ignoranter contrahit cum ſerua, aut econuerſo, impedit & matrimonium dirimit; ſi tamen conditione ſiue ſeruitute cognita poſtea conſenſerint matrimonium tenet. *Conditio.*

Votum ſolenne propter quod homo ſui corporis poteſtatẽ amiſit,ſe tradens Deo ad perpetuã continentiã matrimoniũ contrahendũ impedit,& dirimit iam contractum,& ſi quis poſt profeſsionem legitimè factam, uel poſt ſuſceptionem ordinis ſacri contrahit,matrimonium dirimitur, & ipſo facto eſt excommunicatus.Nec eſt ſimile de Voto ſimplici, nam illud matrimonium contrahendum impedit, ſed non dirimit, uel ſeparat contractum. *Votũ.*

Cognatio triplex, ſcilicet Carnalis, Spiritualis & Legalis; *Cognatio.*

Carnalis eſt conſanguinitas,quæ eſt uinculum ſanguinis aliquorum ab eodem ſtipite aſcendentium uel deſcendentiũ carnali propagatione contractũ, quæ matrimonium impedit uſq; ad quartum gradum incluſiuè,& qui contrahunt ſunt excõicati,& matrimonium eſt nullum.

Legalis cognatio eſt propinquitas quædam proueniens ex adoptione quæ fit per adoptionem alicuius in filium uel filiā, unde adoptatus durante eius adoptione non poteſt ducere in uxorem filiam carnalem adoptantis,ſed ſi emancipatus fuerit,poterit.Adoptans uero nullo aliquo tempore poteſt filiam adoptatam ducere in uxorem, nec etiā poſt emancipationem.

Crimē Multa ſunt crimina quæ matrimonium contrahendum impediunt, ſed non dirimunt contractum,ſicuti uxoriciduum,raptor alienæ ſponſæ,inceſtus,interdictum eccleſiæ,impedimentum feriarum, & alia.

Verum tria ſunt,quæ impediunt & dirimunt contractum.

Primum,Adulterans cum coniugata, & machinans in mortem uiri,uel econtra,machinans in mortem uxoris effectu ſecuto.

Secundū promittens adulteræ uiuente uiro eius eā ducere in uxorē.

Tertium,Si uiuente legitima uxore, ſcienter ſuperinducit adulteram in coniugem.

cultus diſparitas. Cultus diſparitas eſt,quod fidelis non poteſt contrahere cum infideli,niſi infidelis promiſerit conuerti ad fidem,poteſt tamen fidelis habitare cum infideli niſi periculum ſit ut ad idolatriam trahatur.Verum ſi adeſt periculum,matrimonium ſoluitur.

Vis. Eſt impedimentum quando quis cogitur ad matrimonium contrahendum per uim,ſiue per metum mortis uerberum, ſeruitutis, & huiuſmodi,quæ cadunt in conſtantem uirum, & ipſo facto ſunt excommunicati quicunque quouis modo,directè,uel indirectè cogunt ſubditos ſuos,uel quoſcunq; alios,quominus liberè matrimonia contrahantur;ſimiliter & raptores ſunt excommunicati, neq; raptum poſſunt ducere in uxorē,niſi ipſa in loco libero conſtituta uoluntariè cōſenſerit.

Ordo. Ordo ſacer impedit matrimonium contrahendum, nā Subdiaconi, Diaconi,& Sacerdotes non poſſunt contrahere,ſi uerò contrahant ipſo facto matrimonium eſt nullum, tales enim inhabilitauit ad matrimonium eccleſia,eo quod habent quodammodo uotum ſolenne adiūctum & annexum propter quandam congruentiam,quia in ſacris ordinibus conſtituti,ſacra uaſa tractāt. Si autem poſt matrimonium ratum quiſpiam ordinetur,matrimonium non dirimitur,ſed manere tenetur cum uxore.

Ligamen. Nemo qui legitimè nupſerit & alligatus eſt uxori, poteſt uiuēte ipſa

ſa aliam uxorē accipere. Et dubitans de morte coniugis, niſi prius certificetur, contrahere non debet, quamuis ignoret quid ſit de eo, qui longō tempore abſuit. Excuſatur tamen mulier ſi nubat maritum mortuum credens; ſi autē primus maritus redierit uel ſciat ipſum uiuere, matrimonium contractum dirimitur & tenetur cum primo redire.

Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum eſt quod ex ſponſalibus de futuro oritur ut ſi aliquis deſpondeat puellam ſeptem annorū licet eam carnaliter non cognouerit, nullus tamen de conſanguinitate eius poteſt eam habere in uxorem, nec ipſe aliquam de conſanguinitate ipſius & hoc impedimentum extendebatur alias uſque ad quartum gradum incluſiuè, uerum nec hæc propinquitas non excedit primum gradum ſecundum decretum Concilii Trid. ubi ualida fuerint ſponſalia. *Publica honeſtas*

Affinitas eſt quædam perſonarum propinquitas ex carnali copula proueniens per maritum & uxorem, nam mulier efficitur affinis omnium conſanguineorum uiri ſui, & econtra, uir omnium cōſanguinearum dictæ mulieris quæ uſque ad quartum gradum impedit. *Affinitas.*

Præterea carnalis copula extra matrimonium habita affinitatē cauſat, quæ olim matrimonium dirimebat uſque ad quartum gradum. Verum Concilium Tridentinum reſtringit tantum ad eos qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur; in aliis uerò gradibus matrimonium contractum non dirimitur.

Impotentia coeundi impedimentum eſt quia in matrimonio eſt cōtractus per quem alter alteri obligatur ad ſoluendum debitum, unde ſi quis non poterit per impotentiam coire, impedit contrahendum & dirimit contractū. Si aūt impedimentū eſt accidētale & per medicinā remoueri poſsit, ualet, & tenet, ſi uerò non, nullum eſt matrimonium. *Impotentia coeundi.*

Impedimenta uerò quæ matrimonium contrahendum impediunt, ſed non dirimunt contractum, uide ſuperius de impedimēto criminis.

Si quis aūt dixerit, eccleſiā non potuiſſe inſtituere impedimenta matrimonium dirimentia ...

ARBOR CONSANGVINITATIS.

				iiii Abauus Abauia. 4				
			iiii Propatruus Proamita. 5	iii Proauus Proauia. 3	iiii Proauunculus Promatertera. 5			
		iiii Horum filius filia. 6	iii Patruus mag. Amita magna 4	ii Auus Auia. 2	iii Auunc.magn' Mitera magna 4	iiii Horum filius filia. 6		
	iiii Eorũ ne- pos nept. 7	iii Propior ſobrinus Propior ſobrina. 5	ii Patruus Amita. 3	i Pater Mater. 1	ii Auunculus Matertera. 3	iii Propior ſobrinus Propior ſobrina 5	iiii Eorũdẽ nepos, neptis. 7	
iiii Eorundem pro nepos ꝓneptis. 8	iii Horum fi lius filia. 6	ii Frater patruelis uel Amitinus, Sor.pat. uel amitina. 4	i Frater. 2		i Soror. 2	ii Conſobrinus Conſobrina. 4	iii Horum filius filia. 6	iiii Eorundem pro nepos ꝓneptis. 8
iiii Eorundẽ nepos neptis. 7	iii Horum fi lius filia. 5	ii Fratris filius filia. 3		i Filius Filia. 1		ii Sororis filius filia. 3	iii Horum filius filia. 5	iiii Eorundẽ nepos neptis. 7
iiii Horum nepos neptis. 6	iii Fris nepos neptis. 4			ii Nepos Neptis. 2			iii Sororis nepos neptis. 4	iiii Horum nepos neptis. 6
iiii Fratris ꝓnepos proneptis. 5				iii Pronepos Proneptis. 3				iiii Sororis ꝓnepos proneptis. 5
				iiii Abnepos Abneptis. 4				

Conſanguinitas eſt attinentia perſonarum ex eo proueniens, quod una deſcendit ab altera, uel ambæ ab eadem, uel eſt uinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractũ; & dicitur a con, quod eſt ſimul uel unitum, & a ſanguine, quaſi ſanguinis unitas.

Linea eſt collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, gradus continens, & numeros diſtinguens, & eſt triplex, ſcilicet graduum deſcendentium, aſcendentium, & collateralium.

Gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum qua cognoſcitur quota agnationis, uel cognationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differunt.

Sciendum eſt quòd pũctorum numeratio eſt numeratio graduum, habito reſpectu ad caput, uel ad cellulam uacuam.

Numerus quoque ſuperior denotat computationem ſecundùm ius canonicum, inferior uerò numerus ſecundum ius ciuile, & in computatione aſcendentium, & deſcendentium utrunque ius concordat.

Arbor Affinitatis.

Vxor fratris olim relicta	frater	Primus gradus	Soror	Vir ſororis olim relictus
Vxor filii fratris	fratris filius	Secundus gradus	Sororis filia	Vir filiæ ſororis
Vxor nepotis fratris	fratris nepos	Tertius gradus	Sororis neptis	Vir neptis ſororis
Vxor pro nepotis	fratris pronepos	Quartus gradus	Sororis proneptis	Vir proneptis ſororis

Affinitas eſt perſonarum proximitas ex carnali copula proueniẽs ex nuptijs quæ ſint legitimæ;& dicitur affinitas quaſi duorũ ad vnum finẽ vnitas, eo quòd duæ cognationes diuerſæ per nuptias ſecundũ leges,ac etiã per coitũ ſecundũ canones copulantur , uerum impedimentum per carnalem copulam extra matrimoniũ, quod olim matrimonium dirimebat uſque ad quartũ gradum Conc.Trid.reſtringit tantũ ad eos qui in primo,& ſecũdo gradu coniunguntur,in alijs uerò gradibus matrimonium contractum non dirimitur .

Hæc aũt arbor affinitatis eſt tantummodo in primo genere, Genus.n.per hanc regulam cognoſcitur,Perſona addita perſonæ per carnis copulã mutat genus ſed non gradum,Exempli gratia,ſi is qui eſt mihi in ſecundo gradu cõſanguinitatis cognoſcit mulierem, illa eſt mihi ſecundo gradu affinitatis et in primo genere.Si alius eam cognoſcit,ille attinet mihi in ſecundo genere affinitatis & ſecundo gradu . Si ille aliam mulierem cognoſcit ipſa tertio mihi genere affinitatis attinet,& ſecundo gradu. Impedimentum uerò affinitatis hodie per matrimonium eſt tantummodo in primo genere uſque ad quartũ gradum,qui gradus computantur ſecundum gradus conſanguinitatis,Extra autem matrimonium per carnalem copulam, vt dictum eſt ſuperius per Concilium Tridentinum,& in primo genere.

Caſus prohibiti in cognatione ſpirituali.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

I Inter baptizatum,uel confirmatum,baptizatam,uel confirmatam, leuantes,baptizantes,uel confirmantes .

II Inter leuantes ſeu tenentes, & patrem & matrem illius baptizati uel confirmati .

In Cognatione legali .

I Inter adoptatum uel adoptatam & adoptantem .

II Inter adoptatum uel adoptatam & filium uel filiam legitima naturalem adoptantis,durante adoptione, poſt uerò em m ac pationem non prohibentur . anci-

III Inter uxorem adoptantis,& adoptatum;& inter adoptant uxorem adoptati .

F I N I S.